BIBL. NAZ.
Vitt. Emanuele III
4
C
58
NAPOLI

ccagr:

Digitized by Google

Digitized by Google

A
C
58

RITUS
ANNUÆ ABLUTIONIS
ALTARIS MAJORIS
SACROSANCTÆ
BASILICÆ VATICANÆ
IN DIE COENÆ DOMINI

EXPLICATUS, AC ILLUSTRATUS

AB ABB. JO: CHRISTOPHORO BATTELLO
EJUSDEM BASILICÆ BENEFICIATO.

Coll. Neapol. Soc. Jesu An. 1779




ROMÆ, MDCCII. Typis, & Fuſoria Cajetani Zenobii
ad Magnam Curiam Innocentianam.

SUPERIORUM FACULTATE.

Digitized by Google

Sacerdotes autèm, & Levitę filii Sadoc, qui cuſtodierunt cæremonias Sanctuarii mei, cum errarent filii Iſrael à me, ipſi accedent ad me, ut miniſtrent mihi, & ſtabunt in conſpectu meo, ut offerant mihi adipem, & ſanguinem, ait Dominus Deus. Ezechiel. cap. 44. 15.

Digitized by Google



Digitized by Google

Digitized by Google

EMIN.MO AC REV.MO PRINCIPI

C A R O L O

TIT. S. LAURENTII IN LUCINA

PRIORI PRESBYT.

S. R. E. CARDINALI

BARBERINO

SACROS. BASIL. VATIC.

ARCHIPRESBYTERO.

Jo: Christophorus Battellus Felicitatem.

NOn *mihi diutiùs cum Veronenſi Poetâ deliberandum fuit*, cui donare *deberem* meum

hunc *qualemcumque* libellum aridâ modò pumice expolitum. *Cum etenìm illius argumentum ſit*: Ritus annuæ ablutionis Altaris majoris Sacroſanctæ Baſilicæ Vaticanæ in die Cœnæ Domini; *ipſa argumenti ratio poſtulabat, ut inclyto tuo Nomini*, PRINCEPS EMINENTISSIME, *dicaretur, qui ejuſdem Baſilicę ritibus, & ſacris omnibus ampliſſimâ præſides poteſtate, quique ea ſummâ religione, ac ſapientiâ moderaris. Læſæ inſupèr juſtitiæ argui poſſe videbar, ſi, quæ ad fundum pertinent tuum, tuaque quodammodò ſunt, alii, quam Tibi offerre, ac, ut loquuntur Juriſconſulti, repræſentare maluiſſem. Me*

præ-

prætereà .ad publicam hanc grati animi teſſeram exhibendam vehementiùs urgebant plurima in diuturno, familiarique ſexdecim annorum obſequio à ſingulari munificentiâ tuâ in me profecta beneficia, ac illud in primis illuſtre, quo auguſtiſſimæ Baſilicæ Beneficiatis annumeror, quodque ad hoc idem Opuſculum conſcribendum occaſioni mihi fuit, & incitamento. Privatis hiſce rationibus adjungebantur, quæ communitèr cum ipsâ Baſilicâ Tibi, tuiſque clariſſimis Majoribus debeo. Ut enìm cætera Barberini nominis ſplendida monumenta prætercam, quid in eà ſuſpicimus, ac propè veneramur au-

guſtius, quidue magnificentius æneâ illâ à magno Patruo tuo URBANO VIII. P. O. M. *Apoſtolico Sepulchro impoſitâ mole, ſub quâ Ritus ipſe, de quo nobis inſtitutus eſt ſermo, perficitur? quæ ut materiæ præſtantiâ, ac operis majeſtate, & pulchritudine veterum Orbis miraculorum celebritatem imminuit, ità* BARBERINÆ GENTIS *pietatem, ac animi magnitudinem ſeculorum omnium poſteris præclarè teſtabitur. Grandia hæc, & penitùs inſita familiæ tuæ decora, pietatem ſcilicèt, ac animi magnitudinem, in Te uno maximè elucere, cum alia plurima, tum duo præcipua hoc eodem anno à Te edita exempla demonſtrant,*

quæ

quę nulla umquàm delebit ętas, nulla ferę poſteritatis extinguet oblivio. Horum alterum eſt funebris apparatus, quo piiſſimo Principi, & de Catholicâ Religione optimè meritò JACOBO II. *Magnæ Britanniæ* REGI *parentalia Sacra exhibuiſti eâ ſanè regiâ, auguſtâque pompæ magnificentiâ, ut feriatæ in ſpectaculum Urbi reddere viſus fueris celeberrimæ illius Apotheoſis imaginem, quâ vetus Romanorum ſuperſtitio ſuos olìm Cæſares humanis exemptos divinis augere honoribus conſueverat. Alterum eſt Apoſtolica Legatio juſſu Beatiſſimi Patris* CLEMENTIS XI. *Chriſtianam Rempublicam ſanctiſſimè mode-*

rantis ad Hiſpaniarum Regem Catholicum PHILIPPUM V. *à Te adeò magnificè adornata, tantoque obita ſplendore, & cultu, ut ſuperiorum, quotquot fuerunt, Apoſtolicæ Sedis Legatorum gloriam obruere, & quotquot deincèps erunt, paris ſpem gloriæ præripere viſus ſis. Quis umquàm triumphus illuſtrior? quæ pulchrior ſpecies? quæ pompa ſolemnior? effuſus in gaudia Neapolitanæ Urbis frequentiſſimus populus, effuſus in obſequia ſacer Ordo univerſus, non mœnibus contineri, non plauſibus modum ponere; quin ipſe Rex potentiſſimus parùm credens patere venienti, feſtinavit occurſare venturo.* Non

ætas

ætas quemquam, *ut olìm Plinius ait de triumphali Trajani Cæſaris in Urbem adventu,* non valetudo, non ſexus retardavit, quominùs oculos inſolito ſpectaculo impleret. Te parvuli noſcere, oſtentare juvenes, mirari ſenes, oppletæ undiquè viæ, anguſtuſque trames relictus Tibi. *Ità omnes in amorem, venerationemque Tui non tam fulgor ampliſſimæ, ſummęque proximæ Dignitatis, & generis claritudo, quàm priſca morum ſanctitas, & innocentia, candor animi, gravitas, ſapientia, ac ceteræ eximiæ tuæ, nulloque vitiorum confinio læſæ virtutes accenderant.* Verùm, *dum his commemorandis læta*

li-

libens incumbit oratio, vaſtiſſimum laudum tuarum campum ſensìm ingredior, quas nec mihi, meique ſimilibus attingere fas eſt, nec ęquis auribus ferre poteſt moderatio tua. Ea igitur, quæ laudum tuarum non ultima eſt, ſingulari humanitate patere, EMINENTISSIME PRINCEPS, *Vaticanam hanc lucubrationem ſplendidi tui Nominis fulgoribus illuſtrari, ſimulquè benignus amplectere, & gratum habe, quod pręfert, quantulumcumque numquàm interituræ obſervantiæ in Te meę, & obſequentiſſimi animi teſtimonium.*

PRÆFATIO
AD LECTOREM.

EDidit antè aliquot annos eximiæ Viri eruditionis, pariſque pietatis Joſeph Maria Suareſius Epiſcopus Vaſionenſis, & Sacroſanctæ Baſilicæ S. Petri olìm Vicarius Opuſculum, quo Ritus annuę ablutionis Principis Aræ ejuſdem Baſilicæ in die Cœnæ Domini antiquitatem, & myſticas ſignificationes expoſuit. Verùm, ſivè quòd illius exemplaria non omnibus obvia eſſent, ſivè quòd author ipſe rem in pauciora verba contra-

heret,

Digitized by Google

heret, ſivè demùm, quòd alicubì non inoffenſo, ut ajunt, pede decurrere videretur: plures ſanè exoptabant, ut eidem Ritui uberiùs explicando, ac illuſtrando quiſpiam incumberet, novumque opus, ut omnium votis conſultum eſſet, publici juris faceret. Hanc ego provinciam, ſummo Authore ſuadente, cujus placita vice legis obſervo, ac impellente etiàm ſingulari meo in auguſtiſſimam Baſilicam cultu, & obſequio, licèt non ſatìs penſato ingenii modulo, aggreſſus ſum, & amicorum pleriſque non cohortantibus tantùm, ſed & operam ſuam humaniſſimè conferentibus, huic Opuſculo concinnando animum

ad-

adjeci, quod meritò centonem appelles, cum ex variis hinc indè conquiſitis, decerptiſque ſegmentis in unum coaluerit. Quidquid tamèn laboribus impendimus, tibi haud omninò ingratum futurum ſperamus, ſaltèm ex ipsâ ſacrarum rerum naturâ, quæ quamdam ſui reverentiam, & amorem religioſis mentibus ingerere conſueverunt. Totam itaquè opellam in decem capita diſtribuere viſum eſt; quorum *quatuor priora* ſacram cœremoniam, de quâ agitur, exhibent eo planè modò, quo peragi hoc tempore ſolet nedùm in Baſilicâ Vaticanâ, ſed etiam in pleriſque aliis per Italiam, Germaniam, Galliam,

cæ-

cæteraſque remotiores Chriſtiani Orbis provincias, tùm latini, tùm græci ritus Eccleſiis: 5. *cap.* explicatur origo, & antiquitas ejuſdem cœremoniæ in utrâque Eccleſiâ, Latinâ ſcilicèt, & Græcâ: 6. 7. & 8. *capitibus* exponuntur myſticæ ſignificationes ejuſdem Ritus, rerumque in eo adhibitarum apud utramque Eccleſiam: 9. *cap.* libuit cauſam inquirere, cur ſola Baſilica Vaticana hunc morem in cæteris ſecularibus Urbis Eccleſiis jamdiù antiquatum hactenùs retinuerit: 10. & *poſtremò cap.* prçcipua Dominicæ Paſſionis myſteria in ejuſmodi Ritus obſervatione conſideranda piis fidelium mentibus proponuntur.

Su-

Supervacaneum, ac imprudentię proximum nonnullis fortaſsè videbitur, quod ego poſt eruditiſſimi Scriptoris Opuſculum, qualis profectò Suareſius fuit, perindè ac Iliada poſt Homerum,hoc idem argumentum, rudi præſertim, incomptoque ſtylo, tractandum ſuſceperim, objicientque actum me agere, & dictis jam alienis inglorio, inutilique labore immorari, quod omninò nequaquam abnuero; verùmtamen bonâ veniâ dixerim immenſum veritatis, ac ſcientiæ theſaurum inveniri quidèm poſſe, nullatenùs exhauriri, ità ut multa nobis reliquerint, qui præceſſerunt, ſicutì & multa nos relicturi ſu-

mus

Digitized by Google

mus his, qui ſequentur. Poſt meſſem ſpicilegium, poſt dubiam cœnam analecta, poſt cœſam ſylvam reſidua nonnulla ſupereſſe nemo inficiabitur. Hæc ego poſt tanti Authoris veſtigia collegiſſe contentus, citrà inanis gloriæ cupiditatem, cujus cauſas procùl habeo, meam hanc qualemcumque lucubrationem in lucem edere non extimui; ratus, ſi quæ nova prodidiſſe videar, opus: ſin minùs, conatum, ſtudiumque meum te (lector humaniſſime) probaturum. Porrò illud etiàm, atquè etiàm rogatum te velim, ut, ſi alicubì me lapſum eſſe deprehenderis, ſi quid è calamo inconſultius excidiſſe cognoveris,

ris,

ris, æquo animo feras, ac libentèr ignoſcas, memor ſententiæ Luciani: *in rebus humanis nihil adeò fauſtè, felicitèrque peragi, quod non error aliquis interpellet*; quìn etiàm amicè admonere ne dubites: acriùs enìm incitabis ad hoc ſtudiorum genus ſuâpte naturâ propenſum, ſi caſtigationibus tuis ingenium docile, nec ultrà modum propoſiti tenax ad meliora formaveris.

Digitized by Google

PErlegi commiſſum mihi à Reverendiſſimo P. F. Paulino Bernardinio Sacri Apoſtolici Palatii Magiſtro Librum inſcriptum: Ritus annuæ ablutionis Altaris Majoris Sacroſanctæ Baſilicæ Vaticanæ in die Cœnæ Domini explicatus, ac illuſtratus ab Abbate Joanne Chriſtophoro Battello ejuſdem Baſilicę Beneficiato: *nihilque in eo Fidei contrarium, vel bonis moribus, quin potiùs pietatem multiplici eruditione conjunctam animadverti. Quamobrem editione dignum illum cenſeo, ut illuſtriora fiant vetera Eccleſiæ inſtituta ad Fidelium ædificationem. Romæ die* 25. *Novembris* 1702.

Joſephus Maria Thomaſius Presbyter Congreg. Clericorum Regul.

IM-

IMPRIMATUR,

Si videbitur Reverendiſſ. P. Mag. Sacri Pal. Apoſt.

Dominicus de Zaulis Epiſc. Verulanus Viceſgerens.

IMPRIMATUR,

Fr. Paulinus Bernardinius Ord. Prædic. Sac. Apoſt. Pal. Mag.

Digitized by Google

Digitized by Google

ORDO CAPITUM.

CAP. I.

Deſcribitur annuus Ritus ablutionis Altaris Majoris Baſilicæ Vaticanæ in die Cœnæ Domini. pag. 1

CAP. II.

An idem Ritus hodiè, prætèr Baſilicam Vaticanam, in aliis Urbis Eccleſiis, & quomodò peragatur. 16

CAP. III.

An in aliis extrà Urbem Eccleſiis cùm per Italiam, tùm

per

per cæteras remotiores Chri-ſtiani Orbis provincias idem Ritus hoc tempore vigeat. pag. 25

CAP. IV.

De conſuetudine Eccleſiæ Græcæ in ablutione ſanctæ Menſæ fer. V. in Cœnâ Domini. pag. 69

CAP. V.

De origine, ac antiquitate moris lavandi Altaria fer. V. in Cœnâ Domini, vel ſequenti fer. VI. in paraſceve, apùd utramque Eccleſiam. 87

CAP. VI.

Explicantur myſticæ ſignificatio-

tio-

Digitized by Google

tiones ejuſdem Ritus, rerumque in eo adhibitarum, tùm in Baſilicâ Vaticanâ, tùm in aliis Latinorum Eccleſiis. pag. 122

CAP. VII.

De myſticis ſignificationibus ejuſdem Ritus, rerumque in eo adhibitarum apùd Græcos. 154

CAP. VIII.

Declaratur aliud myſterium ablutionis Altarium juxtà Ritum utrique Eccleſiæ communem. 175

CAP. IX.

Cur ſola Baſilica Vaticana ex

cun-

Digitized by Google

cunctis ſecularibus Urbis Ecclesiis Ritum hunc conſtantèr hactenùs retinuerit. 189

CAP. X.

De præcipuis Dominicæ Paſſionis myſteriis in ejuſdem Ritus obſervatione conſiderandis. 204

CAP.

CAP. I.

Deſcribitur annuus Ritus ablutionis Altaris Majoris Baſilicæ Vaticanę in die Cœnę Domini.

I. VATICANUM Templum, quod *in toto Orbe terrarum*, ut Leonis X. P. M. verbis utar, *longè omnium maximum, atquè ſanctiſſimum ſemper fuit*, & de quo veriùs, Card. Bemb. epiſt. 13. lib. 9.

quàm de priſcis Græciæ ædificiis prædicari poteſt illud Lucani: *nullum eſt ſine nomine ſaxum*: non tam molis amplitudo, atquè majeſtas, ac innumerabilium Cęlitum inſignes exuviæ, quàm ſacrorum miniſtrorum dignitas, & frequentia, reique liturgicæ nitor, ac diſciplina planè mirabilitèr ornant, atquè commendant. Non enim in Urbe, nec, ſi pauca admodùm excipias, in univerſo, quacumque patet, Orbe, aliud cernitur Sanctuarium, ubi divinis laudibus perſolvendis numeroſior, aut nobilior Clerus addictus ſit, vel ubì ſacra quæcumque religioſiùs, auguſtiùſque celebrentur.

II. Por-

II. Porrò Eccleſiaſticorum Rituum obſervationem, ſine quorum ornatu ipſa religio quodammodò inculta eſt, informis, ac omni pulchritudine vacua, Vaticanum Capitulum adeò ſemper eximiè coluit, ut cæteris omnibus, quibus univerſa Chriſti Eccleſia coronatur in terris, tamquàm norma, & exemplum, omni tempore propoſitum fuerit. In primis autèm vetera inſtituta à Majoribus tradita ſolicitè, conſtantèrque ſervare perpetuò ſtuduit incorrupta, nec, tametsì aliis in Eccleſiis pro temporum varietate paſsìm antiquarentur, ea umquàm aboleri permiſit. In his illud ſolemne eſt, ut Matutino,

& Laudibus in Choro Baſilicæ fer. 5. in Cœnâ Domini decantatis, quotannìs ſub occaſum ſolis Clerus omnis è Choro diſcedens proceſſionali ordine progrediatur ad ablutionem Altaris majoris ſuprà ſacram Beati Petri Confeſſionem exſtructi. Hęc autem ablutio ex Majorum traditionibus, & peculiari Decreto Eminentiſſimi Archipreſbyteri edito anno 1635., eo fermè ritu, quem mox deſcripturi ſumus, peragi ſolet.

III. Primùm, dum divina in Choro celebrantur officia, juxtà Altare majus paratur in loco apto parva menſa nuda, ſupèr quâ ponuntur amphoræ tres argenteę Vini optimę notæ,

modicâ aquâ commixti, & pollubrum argenteum cum ſeptem mappulis lineis mundis, totidemque ſpongiis communibus.

IV. Ad Canticum *Benedictus* in Laudibus diſtribuuntur in Choro ſingulis Canonicis, Beneficiatis, & Clericis Beneficiatis Aſpergilla, quæ conſtant è ramis taxi, ſeù buxi, aut fruticis ſanguinei, vulgò *Sanguinella*, minutiſque ramentis ab ipſo trunco præciſis, ac in varios, quasì cincinnos detortis in imâ, mediâ, ac ſummâ parte exornantur; in vertice autèm, in quo largior apparet ramentorum conglobatio, coronæ, ſeù diadematis ſpeciem præferunt.

V. Abſoluto Matutino cum Laudibus Canonicus Hebdomadarius, & ſex alii Canonici ſeniores deſcendunt ad Sacrarium, ubì depoſitis Cappis Hebdomadarius ſuper rochetto, amictu, & albâ induitur ſtolâ, & pluviali nigri coloris; Canonici verò ſeniores ſuprà rochettum ſumunt ſuperpelliceum cum ſtolâ nigrâ. Ità parati, præeunte Acolytho cum Cruce inter alios duos Acolythos deferentes candelabra cum cereis extinctis, revertuntur ad Chorum, & indè omnes ex Clero Aſpergilla in manibus geſtantes proceſſionali ordine prodeunt, ac ſub ſilentio pergunt ad Altare majus, ità tamèn ut Canoni-

cus

cus Hebdomadarius pluviali indutus incedat medius inter duos ultimos Canonicos ſtolis ornatos, aliis quatuor immediatè præcedentibus. Ubì ad Altare majus pervenerint Hebdomadarius, & ſex Canonici parati, in infimo Altaris gradu genuflectunt, & aliquantulùm orant. Cæteri Canonici poſt eos, ſimùlque Beneficiati, & Clerici Beneficiati circulum conſtituunt. Intereà Acolythus Crucem deferens medius inter Ceroferarios aſcendit ad ſacram menſam, & ponè illam ſiſtit, facie ad Clerum conversâ. Cappellani verò, Cantores, ac Alumni Seminarii Vaticani hinc indè per Altaris gradus, & ambi-

tum diſponuntur. Poſtmodùm Hebdomadarius intonat Antiphonam: *Diviſerunt ſibi veſtimenta mea &c.* quam Cantores, & Clerus lugubri concentu proſequuntur, eâque finitâ recitant alternàtim *Pſalmum xxj.* cujus initium eſt: *Deus Deus meus reſpice in me: quarè me dereliquiſti, longè à ſalute mea verba deliẞorum meorum.*

VI. Antiphonâ inchoatâ Hebdomadarius ſurgens exuitur pluviali, & cum Canonicis paratis aſcendit per gradus ad Altare, antè cujus frontem in medio ſiſtens, ope eorumdem Canonicorum, amovet è ſacrâ menſâ telam ceratam ſuperimpoſitam, quâ ſublatâ Canonicus

Al-

Altariſta, cujus peculiare id munus eſt, ſuperpelliceo ſuprà rochettum abſque ſtolâ indutus, proximè ad Hebdomadarium accedit cum unâ ex tribus amphoris præparatis, & ſub initium Pſalmi: *Deus Deus meus &c.* facit primam Vini effuſionem, integram amphoram ſuprà menſam evacuando.

VII. Vinum ità evacuatum Hebdomadarius, & Canonici aſſiſtentes illicò cum Aſpergillis diffundunt, ſparguntque per totam ſacræ menſæ planitiem, quam reverentèr abluunt, atquè perfricant. Ablutione peractâ Hebdomadarius ſecedit ad parvam menſam; Canonici verò aſſiſtentes hinc indè ab utroque

que Altaris cornu diſpoſiti, tres ſcilicèt ex quolibet latere, facie ad faciem conversâ, ſubſiſtunt.

VIII. Ubì primùm Hebdomadarius, & Canonici parati menſam abluere incœperint, ſex alii Canonici antiquiores, idem præſtituri, cum Cappis,& Aſperſoriis in infimo Altaris gradu genua ſubmittunt, ibiquè conſiſtunt, donèc illi, primâ ablutione abſolutâ, ſeceſſerint. Mox ſurgentes aſcendunt ad Altare, ejuſque menſam eodem planè modò lavant, & perfricant. Hos ſequuntur alii, & deindè alii. Canonicis ſuccedunt Beneficiati, & his Clerici Beneficiati, qui ſinguli eodem prorsùs ritu, ac ordine cum

Aſper-

Aſpergillis ſacram menſam abluunt, & poſtquàm ablutionem expleverint, propria repetunt loca, factâ priùs Altari reverentiâ.

IX. Canonicus verò Altariſta, ubì ſub Pſalmi initium fecerit primam Vini effuſionem, ut dictum eſt, circà medium Pſalmum facit ſecundam cum ſecundâ amphorâ, & circà finem Pſalmi facit tertiam cum tertiâ.

X. Ablutâ, abſtersâque ab omnibus Canonicis, Beneficiatis, & Clericis Beneficiatis ſacrâ mensâ, poſtremò ad eam abſtergendam conveniunt Cappellani, Cantores, & Clerici Baſilicæ; ac inſupèr Alumni Semi-

mi-

minarii Vaticani cum Aſpergillis unicuique extrà Chorum diſtributis. Quibus demùm abeuntibus affertur per unum ex Acolythis Pollubrum argenteum cum ſpongiis, & mappulis præparatis, & Hebdomadarius, ſicùt etiàm Canonici aſſiſtentes, ſumptis primùm ſpongiis, & deindè mappulis, integram menſam undequaquè diligentèr detergunt cum à parte anteriori, tum à poſteriori, & removent ab illius ſuperficie floſculos, ſi qui ex Aſperſoriis ceciderint, ut benè munda ſit tota. Poſtmodùm per unum ex Clericis telâ ceratâ rursùs circumtegitur.

XI. Quibus peractis Hebdo-

domadarius iterùm induitur pluviali, & cum Canonicis aſſiſtentibus in genua procumbit in infimo Altaris gradu. Tunc Cantores, univerſo itidèm Clero in pavimento Eccleſiæ genibus innixo, incipiunt verſiculum: *Chriſtus factus eſt pro nobis obediens uſquè ad mortem &c.* eoque finito Hebdomadarius, dicto priùs ſecreto *Pater noſter*, recitat orationem *Reſpice quæſumus Domine ſupèr hanc familiam tuam &c.* quâ abſolutâ deſcendit cum Canonicis paratis, & Acolythis ad Eccleſiæ pavimentum, ibiquè ipſis, & univerſo Capitulo, cæteriſque circumſtantibus in genua provolutis oſtenduntur è
ſub-

ſublimi Odeo inſigniores, ſanctioreſque Reliquiæ Baſilicæ more ſolito, ac tandèm Clerus omnis eo, quo venerat, ordine ad Sacrarium revertitur ſub ſilentio.

XII. Hic Ritus ità propemodùm deſcriptus habetur etiàm in *Cæremoniali Sacroſanctę Baſilicę Principis Apoſtolor. lib. 2. cap.* 10. *tit. de modo abluendi Altare majus*, dudùm compoſito, non tamèn edito à *Michaele Angelo Matthæio* Patriarcha Antiocheno, ejuſdemque Baſilicæ Canonico Decano, & Altariſtâ, cujus memoria in benedictione eſt, ſemperquè erit nedùm ob ſtudium, quod exponendis ſacris noſtræ Baſilicæ

Cœ-

Cęremoniis impendit planè eximium, verùm etiàm ob veteris veſtigia recti, & mores ductos meliore metallo, ac verè Romanos, quibus Vaticano Capitulo diù, multùmque, ut probatiſſimum exemplar, & norma, præluxit.

CAP.

Digitized by Google

CAP. II.

An idem Ritus hodie, præter Baſilicam Vaticanam, in aliis Urbis Eccleſiis, & quomodò peragatur.

I. RELIGIOSUM hunc morem lavandi Altaria fer. 5. in Cœnâ Domini inter Urbis Eccleſias ſolam Baſilicam Vaticanam modò retinere opinatus eſt *Suareſius Epiſcopus Vaſionen-*

nenſis in Opuſculo, cujus in noſtrâ Præfatione meminimus. Senſiſſe tamèn cenſendus eſt de ſecularibus tantùm Eccleſiis, in quibus (exceptâ Vaticanâ Baſilicâ) idem ſanè ritus penitùs obſolevit, & hac forsàn de causâ ex Rubricâ Miſſalis, & Breviarii Romani jamdudùm expunctus fuit. Quòd ſi de aliis quoquè Romanis Regularium templis indefinitè intellexiſſe videretur, profectò (abſit invidia verbo) vir, cæteroquìn eruditiſſimus, lapſus eſſet, cum manifeſtè conſtet eumdem ritum adhùc in Urbe ſervari in omnibus Eccleſiis Ordinis Fratrum Prædicatorum, quod

& teſtatur *Macrius in Hierolexico, & Notitiâ Vocabulorum Eccleſiaſticorum in verb. Altare*. Quin immò iidem Regulares nedùm in Urbe, ſed & in cæteris omnibus ſui Ordinis Cœnobiis extrà Urbem hunc morem ad hæc uſquè tempora retinent teſte *Cavaler. Epiſcop. Gravinen. in Staterâ Sacrâ titul.* 4. *num.* 127. & prætèr Altare majus abluunt etiàm reliqua cujuſque templi Altaria ſtatis precibus, certoque ritu, qui in eorum *Proceſſionali, atquè etiàm in officio Hebdomadæ Sanctæ feriâ V. in Cœnâ Domini* ità præſcribitur.

Poſt

Poſt Cœnam ad Altaria abluenda.

II. *Poſt comeſtionem utriuſque menſæ, horâ idoneâ, fiat ſignum cum tabulâ ad Altaria abluenda. Quo audito Prælatus præparet ſe ad hoc officium cum his miniſtris, ſcilicèt Diacono, & Subdiacono, & Ceroferariis, & aliis duobus, quorum unus deferat ſitulam cum aquâ, & alter ſcopam ex aliquibus ramis, & linteum, & hi omnes induantur Albis: Priore, & Diacono habentibus ſtolas, & manipulos, & Subdiacono manipulum. Quibus præparatis*

fiat ſecundum ſignum, & tunc fratres conveniant in Choro, & ſic præcedentibus Ceroferariis, & ſubſequentibus poſt eos illis, qui aquam, & ſcopam deferunt, deindè Subdiacono cum ampullâ vinariâ, & Diacono cum libello, quem tenere debet coràm Priore ad orationes dicendas, Prælatus procedat ad majus Altare abluendum. Cumquè illùc pervenerit, Cantor voce mediocri (in quâ totum hoc officium fieri debet) incipiat Reſponſorium In monte Oliveti *cum ſuo Verſiculo, & Conventus utrumque proſequatur cum reſumptione: quod in cæteris Reſponſoriis cantandis ad hoc*

offi-

officium obſervetur. Dum cantatur Reſponſorium primum In Monte *&c. qui ſitulam defert, effundat aquam ſupèr magnam menſam Altaris, ſi conſecrata fuerit, vel ſupèr menſam Altaris portatilis, ſi Altare non fuerit conſecratum; quo facto Prior accipiens ſcopam cum eâ lavet Altare. Deindè à fratre deferente linteum extergatur: poſtmodùm Prior ſcopam fratri reddat, & acceptâ ampullâ de manu Subdiaconi in modum Crucis vinum effundat ſupèr Altare. Finito Reſponſorio Cantor incipiat Antiphonam de Sancto, vel Sanctis illis, in cujus, vel quorum memoriam Altare*

 con-

conſtructum eſt, & Conventus ipſam proſequatur; quâ finitâ Ceroferarii (Cantore eis deferente) dicant ℣. de Sancto, vel de Sanctis illis, & Prior Orationem. Deindè procedatur ad cætera Altaria, quæ ſunt intrà Eccleſiam, & eodem modo fiat per ſingula, Cantore, poſt terminationem Orationis, incipiente immediatè ſingula Reſponſoria ſecundùm ordinem hiſtoriæ, dum procedunt ad ſingula Altaria: deindè Antiphona de Sancto, vel Sanctis, & Verſic. & Oratio, ut prędictum eſt, dicatur. Cum autèm ad ultimum Altare procedendum fuerit, inchoetur Reſponſorium Circumdederunt.

Et

Et ſi Altaria fuerint plura, quàm decèm, dicto Reſponſorio Revelabunt, *reſumantur de antedictis, proùt neceſſe fuerit; & ad ultimum, Reſponſorium* Circumdederunt *ſervetur. Si verò pauciora fuerint, dictis Reſponſoriis de hiſtoriâ prædictâ, quæ neceſſaria fuerint, reliqua intermittantur, & Reſ-ſponſorium* Circumdederunt *ultimò cantetur. Ubì aptitudo loci permiſerit, præcedente Priore cum Miniſtris ad Altaria, Conventus cantando Reſponſorium gregatìm ſequatur ad Altare, quod lavatur, & ſeorsùm Reſponſorium cum Antiphonâ cantetur. Si verò non fuerit locus ad procedendum*

idoneus, Prælatus cum Miniſtris ad Altaria procedant, & quæ cantanda ſunt à Conventu, in Choro cantentur.

CAP.

Digitized by Google

CAP. III.

An in aliis extrà Urbem Eccleſiis cùm per Italiam, tùm per cæteras remotiores Chriſtiani Orbis provincias idem Ritus hoc tempore vigeat.

I. SACRUM hunc Ritum lavandi Altaria in Cęnâ Domini, vel in Paraſceve, non modò Romæ, ſed etiàm in Galliâ, in Ger-

Digitized by Google

Germaniâ, & in Hiſpaniâ antiquitùs viguiſſe tradit *Suareſius* in Opuſculo alibì citato: noſtrâ autèm ætate in aliis extrà Urbem Eccleſiis jam obſoleviſſe, ut certum, affirmat. Quâ in re profectò (pace tanti Viri dixerim) longiùs à veritate aberravit, cum in confeſſo ſit eumdem Ritum in Cœnâ Domini his quoquè temporibus obſervari, & vigere nedùm in memoratis, ſed & in aliis Chriſtiani Orbis provinciis, licèt non ubiquè eodem prorsùs modo peragatur, ut infrà explicabimus.

II. Viget adhùc per *Italiam* non tantùm in omnibus Eccleſiis Ordinis Prædicatorum, ut ſuperiori capite oſtendimus, ſed

etiàm

etiàm in pleriſque Eccleſiis Ordinis Fratrum Carmelitarum, qui paritèr, prætèr Altare majus, abluunt vino, & aquâ cætera quoquè minora Altaria fer. v. in Cœnâ Domini, ſervatâ formâ, quæ habetur apud *Fanton. in Cæremonial. Carmelitar. lib.2. rubric.* 35. §. 5. *pag.* 242.

III. Per *Galliam* itidèm ſacram hanc cœremoniam pluribus in locis peragi certum eſt. Fit præ cæteris in *Andegavenſi Eccleſiâ* cum aquâ,& vino fer.v. in Cœnâ Domini teſte *Claudio Epiſcopo Andegavenſ.* qui eam fusè explicat *in libro de proceſſion. Eccleſiaſt. cap.* 12. *ſub tit. de proceſſione ad lavanda Altaria.*

ria. Multò autèm religioſiùs, & majori cum ſolemnitate ſervatur in Eccleſiâ Laudunenſi eâdem fer. v., cujus formam editam à Bellotte inter *Ritus Eccl. Laudunen. cap. xj. part. 5.* opportunum ducimus hìc ſubtexere.

IV. *Denudatis Altaribus Sacerdos Hebdomadarius, & Subhebdomadarius accedunt ad Sacrarium, & ibidèm induuntur amictibus, & albis; exindè factâ Cruci debitâ reverentiâ procedunt nudis capitibus ad ablutionem Altaris majoris per oſtium laterale Chori à parte meridionali, manu dextrâ geſtantes faſciculum Hyſſopi ad humeros elevatum, & aliquantiſ-*

tiſpèr in poſteriorem partem inflexum, ſiniſtrâ pectori admotâ. Hos ſequuntur duo Acolythi albis ſimilitèr induti, urceolos deferentes aquâ, & vino puriſſimo refertos: urceolum ſcilicèt aquæ in manu dextrâ, alterum vini in ſiniſtrâ. His ſuccedunt duo Cuſtodes laici, qui vas aquarium poſt eos deferunt, ut, cum defecerit aqua in prædictis Acolythorum urceolis, ipſi novam ex eo opportuniùs haurire, & Sacerdotibus miniſtrare queant. Pervenientes autèm ad medium Presbyterii omnes aliquantulùm flexis genibus orant, & finitâ precatiunculâ conſurgunt, & Sanctiſſimum Sacramentum in pa-

ſto-

ſtophorio repoſitum communi genuflexione adorant.

Deindè gradus anteriores Altaris aſcendunt, cui medioritèr inclinant. Acolythi verò ſecedunt hinc, & indè ad oras laterales Altaris, facie ad invicem converſâ, remanentibus interìm Cuſtodibus laicis in plano Presbyterii: Tunc Præcentor incipit Reſponſorium In Monte Oliveti, *quod ſtatìm Chorus proſequitur cum aliis, quæ ſequuntur, poſteà decantandis. Incœpto Reſponſorio, Sacerdotes faſciculum manu ſiniſtrâ tenentes, dextrâ ſumunt urceolos aquæ de manibus Acolythorum, ex quibus aliquantulùm aquæ infundunt ſupèr medium Altaris,*

ris, quam ſtatìm redditis urceolis dilatant faſciculo per totam planitiem ejuſdem Altaris. Poſteà faſciculum rursùs deponunt in manu ſiniſtrâ, & ſumpto urceolo vini de manibus Acolythorum, de eodem ſupèr medium Altaris fundunt in modum Crucis. Deindè Sacerdos Hebdomadarius pergit ad dextram Altaris, idèſt Euangelii: Subhebdomadarius verò tranſit ſimilitèr poſt eum ad ſiniſtram, ubì quilibet eorum reſpectivè perfundunt eodem ritu aliquantulùm vini ad quodlibet cornu Altaris, primò ad poſteriora, tùm ad anteriora, ità tamèn ut Sacerdos Hebdomadarius, qui ſtat à parte dextrâ,

vino

vino perfuſo in cornu poſteriori Euangelii , tranſverſo Altari per medium ſuppedanei , tranſeat ad partem Epiſtolæ , ibiquè vinum infundat in cornu anteriori . Subhebdomadarius verò , tranſverſo etiàm Altari ex parte ſiniſtrâ ad dexteram , vinum ſimilitèr infundat in ipſo anteriori cornu Euangelii ; tùm redditis , ut priùs , urceolis accedunt ad medium Altaris,quod ſimùl oſculantur .

Peractâ ablutione majoris Altaris omnes eodem ordine deſcendunt per medium Chorum ad abluenda Altaria , quæ ſunt contrà ambonem , & per circuitum Eccleſiæ. Sacerdos Hebdomadarius lavat primò Altare

ima-

imaginis B. Mariæ à parte dextrâ ſpecioſæ portæ Chori. Sacerdos Subhebdomadarius eodem tempore lavat ſimilitèr Altare B. Catharinæ à parte ſiniſtrâ ejuſdem ingreſſus Chori. Exindè procedunt ab utrâque parte poſt Chorum ad ablutionem Altarium, quæ ſunt in procinctu ejuſdem Chori, Hebdomadarius ſcilicèt per dextram, Subhebdomadarius verò per ſiniſtram, & unumquemque illorum ſequitur unus Acolythorum, unus itèm ex prædictis Cuſtodibus laicis, ut aquam, & vinum cuilibet illorum opportunè miniſtrent. Quò pervenientes abluunt per ordinem Altaria, quæ ſunt in circuitu

Chori: Hebdomadarius ſcilicèt ea, quæ ſunt à dextris, Subhebdomadarius verò, quæ ſunt à ſiniſtris, ità ut eodem ritu procedentes paulatìm deſcendant rursùs in Eccleſiæ navim, ubì ſimilitèr lavant Altaria ab utrâque parte: eorumque ablutione peractâ proceditur ad faciendum mandatum.

V. Agitur prætereà, ac ſolemnitèr celebratur hìc Ritus quotannìs in Cœnâ Domini in *Metropolitanâ Eccleſiâ, totâque Rhemenſi Diœceſi*. In novo Rituali ejuſdem Eccleſiæ edito Gallicâ linguâ anno 1677. hæc forma præſcribitur, quam paucis latinè reddemus. *Poſt prandium Sacerdos ſuperpelliceo, & ſto-*

ſtolâ indutus ad majus Altare accedet cum Clerico, vel Cuſtode Eccleſiæ, quo aquam ſuperfundente Altare lavabit. Tum modicum vini in quinque ejuſdem Altaris partes infundet: primò quidèm in medium, deindè in quatuor cornua Altaris, ubì Crucis ſigna inſculpta ſunt de more, ac demùm odorifero pulvere Altare aſperget. Cum illud lavare incipiet, præcinet Reſponſorium Circumdederunt me viri mendaces: *quod Chorus proſequetur. Poſtmodùm canetur Antiphona, Verſus, & Collecta de Patrono, in cujus honorem conſecrata eſt Eccleſia. Idem quoquè in aliis Altaribus fiet.* Hactenùs Ri-

tuale Eccleſiæ Rhemenſis, totiuſque provinciæ.

VI. Idem planè Ritus obſervatur etiàm in *Metropolitanâ Eccleſiâ Rotomagenſi*, ejuſque forma in antiquo Miſſali impreſſo Rotomagi anno 1511. ità deſcribitur: *Poſt prandium in die Cœnę Domini conveniant Clerici ad Eccleſiam ad Altaria abluenda, & ad mandatum faciendum, & ad Completorium dicendum. In primis benedicatur aqua more ſolito extrà Chorum privatìm; deindè præparentur duo Sacerdotes excellentiores cum Diacono, & Subdiacono de ſecundâ formâ, & Ceroferariis de primâ formâ, qui omnes ſint albis cum ami-*

ctibus

ctibus induti, & incipiant à majori Altari, & abluant illud, infundentes vinum, & aquam, & interìm cantetur Reſponſorium: In Monte Oliveti &c. Hujuſce moris Rotomagenſis Eccleſiæ habemus etiàm perantiquum teſtem Joannem Abrincenſem ejuſdem Eccleſiæ Archiepiſcopum antè ſexcentos annos, qui in libro de Officiis Eccleſ. in die Cœnæ Domini hæc habet: *Poſt prandium autèm iterùm ad Eccleſiam omnes conveniunt, nudantes Altaria, cantantes aliquod Reſponſorium: de vino, & aquâ benedictâ abluant: ſolâ aquâ parietes, & pavimenta. Per Eccleſiam, quæ aquâ benedictâ ab-*

luitur, mentes fidelium, qui ſacrâ confeſſione, & lachrymarum inundantiâ mundari debent, deſignantur; ait enìm Apoſtolus: Templum Dei ſanctum eſt: quod eſtis vos: quo loco ejus recens Scholiaſtes Prevotius num. 190. *in Eccleſiâ,* inquit, *Rotomagenſi Altaria tantùm vino, & aquâ lavantur.* Vixit Abrincenſis anno 1061., ut notat idem Scholiaſtes initio ſuarum Obſervationum.

VII. Fit etiamnùm, ut accepimus, Altarium ablutio *Rotomagi* eâdem die in Eccleſiâ Canonicorum Regularium S. Laudi, in quorum antiquo Ordinario edito poſt Jo: Abrincenſem

pag.

pag. mihi 297. hæc habentur: *Poſt Miſſam Conventus in Choro ſedeat expectans, donèc Prælatus, depoſitis, quibus indutus erat, veſtimentis, albâ viliori reinduatur: interìm Altaria nudentur. Præcedente autèm Prelato ad lavanda Altaria, Subpriore, & Secretario aquam, & vinum præferentibus, cum antè majus Altare venerint, Prælatus dicat:* Adjutorium noſtrum in nomine Domini. Domine exaudi orationem meam. Dominus vobiſcum. Oratio: Actiones noſtras. *Tunc debet incipi in Choro Reſponſorium* Circumdederunt me: *poſteà de Reſponſoriis nocturnis, quantum opus fuerit, donèc omnia*

Altaria laventur. Prælatus verò, poſtquàm Altare quodlibet aquâ abluerit, vinum infundat ſupèr illud in modum Crucis, dicens orationem illius Sancti, cujus eſt Altare. Omnibus Altaribus ità ablutis, Prælatus redeat antè majus Altare, & dicat Verſum: Chriſtus factus eſt. *Oratio*: Reſpice quæſumus, Domine.

VIII. Obſervatur inſupèr idem Ritus in *Metropolitanâ Eccleſiâ Pariſienſi* in die Cœnæ Domini horâ ſecundâ pomeridianâ, & in pleriſque aliis Gallicanis Eccleſiis, ut nobis renunciavit V. Cl. Joannes Mabillon Congregationis S. Mauri Monachus, de literariâ Republicâ be-

benemeritus, ut multiplicia, quæ edidit, opera præclarè teſtantur. Illud prætereà notatu dignum idem laudatus Mabillon nobis ſignificavit, quod ſcilicèt in Gallicanis Eccleſiis hæc lotio plerumquè fieri conſueverit cum aſpergillo, ſeu ramuſculo ex buxo, vel palmâ in die Palmarum benedictâ.

IX. *Belgium* paritèr eumdem morem hoc tempore retinet, eâdemque die obſervat. *Mechliniæ* in Metropolitanâ Eccleſiâ, *Lovanii* in inſigni Collegiatâ S. Petri non vino, ſed aquâ tantùm benedictâ lavantur Altaria, & in mediâ, ac utrâque extremâ parte aſperguntur, idemque Ritus eſt ferè commu-

nis

nis reliquis omnibus tum Mechlinienſis, tum aliarum Belgii Diœceſeon Eccleſiis. Ex Regularibur autèm, prætèr *Carmelitas*, *Prædicatores*, *Canonicos Præmonſtratenſes*, de quibus infrà dicetur, & fortè alios aliorum Ordinum, hanc ſervant Cœremoniam *PP. Ordinis Eremitarum S. Auguſtini*, apud quos unus Acolythorum fundit ſuper Altare vinum, alter aquam: Sacerdos cum miniſtris tenens ramum palmarum benedictum, eodem effuſos liquores aliquantiſpèr fricando, & quasì lavando, diſpergit, diſperſoſque in Altari relinquit abſquè ulteriori deterſione; alicubì tamèn, & præcipuè *Lovanii* iidem

PP.

PP. Auguſtiniani non vino , ſed ſolâ aquâ benedictâ Cœremoniam perficiunt. Hæc ex Belgio ſignificata fuere Reverendiſſimo D. Petro Lamberto Ledrou Epiſcopo Porphyrienſi Apoſtolici Sacrarii Præfecto, qui, me rogante, ab amicis provincialibus rem exquiſivit.

X. Per *Germaniam* hunc Ritum uſquè à nono Æræ Chriſtianæ ſeculo viguiſſe teſtantur tres nobiles Germani ſcriptores,nimirùm *Rabanus Maurus*, primùm Abbas Fuldenſis, mox Epiſcopus Moguntinus, *Rupertus Abbas Tuitienſis*, & *Hugo de S. Victore* Monachus natione Saxo, quorum teſtimonia cap. 5. proferemus. Meminit

etiàm

etiàm ejuſdem moris *Miſſale ad uſum Eccleſiæ Auguſtanæ editum anno* 1510., quod ſervatur in Bibliothecâ Vaticanâ, ubì ſub titulo, fer. v. in Cœnâ Domini, hæc habentur: *His tribus diebus populus poſt Miſſam à Sacerdote non benedicitur. Altaria ſtatim denudantur, & vino lavantur.* Noſtrâ autèm ætate compertum habemus ſervari hanc Cœremoniam *Leodii* tum in Cathedrali Eccleſiâ, tum etiàm in S. Petri, & aliis nobilioribus Collegiatis, ac inſupèr in Parochiali Eccleſiâ S. Chriſtophori in Cœnâ Domini, eaque hoc pacto perfici ſolet. Epiſcopus, vel Hebdomadarius, qui eo die officium peregit, procedit

cedit cum miniſtris, & reliquis ex Clero ad Aram maximam Eccleſiæ, quâ denudatâ unus ex Acolythis projicit ex ſitulâ, vel alio vaſe aquam ſuprà illius menſam, ſeu lapidem ſacrum; mox alius ex miniſtris, qui plerùmquè eſt Diaconus, ex urceolo præparato fundit vinum aquâ mixtum in illas menſæ partes, quibus Crucis ſignum inſculptum fuit, dum conſecraretur; eodem tempore Epiſcopus, vel Hebdomadarius ramo buxi, ſeù palmæ benedictæ Crucis ſignum ducit in qualibet parte ſacri lapidis, ſeu tabulæ Altaris, ubì ſunt Cruces, ſivè ubì in Altaris conſecratione Sanctum Chriſma fuit adhibitum, & eodem

dem palmæ, vel buxi ramo deindè menſam abſtergit. Interìm Clerus cantat Antiphonam in honorem Sancti Titularis Altaris, & recitatâ ab Officiatore Collectâ ejuſdem Sancti, diſcedunt omnes, & ad aliud Altare pergunt. In quibuſdam Eccleſiis omnia Altaria ſucceſſivè eodem ritu lavantur; in aliis autèm præcipua dumtaxàt, & antiquiora. In inſignioribus Eccleſiis aquâ, & vino lavantur hac die etiàm Calices, & ejuſmodi ablutio deindè præbetur fidelibus, qui eam religiosè accipiunt, bibuntque. In ipsâmet Leodienſi Civitate agitur etiàm hæc cœremonia eodem planè modo à *PP. Ordinis S. Auguſtini*,

ni,

ni, & à pleriſque aliis Regularibus, ſed ab iis ſola aqua adhiberi ſolet.

XI. Celèbratur præterea quotannìs hic Ritus in *Metropolitanâ Eccleſiâ Trevirenſi* in Cœnâ Domini hoc pacto. Canonicus Hebdomadarius, vel alius Sacerdos Cappâ, ſeu Pluviali indutus, comitante Choro, accedit ad Altare majus, funditque ſuprà illius menſam vinum aquâ commixtum, adhibito in eum uſum faſciculo hyſſopi, ipſamque menſam diligentèr abluit, Choro intereà cantante ſubmiſsa voce *Aſperges me Domine &c.* & deindè Pſalm. *Miſerere mei Deus &c.* Altare abluto Sacerdos ſtans in

me-

medio antè illius gradus dicit.
℣. *Deus meus eripe me de manu peccatoris.*
℟. *Et de manu contrà legem agentis, & iniqui.*

Oratio.

Per hujus, Domine, operationem myſterii & vitia noſtra purgentur, & juſta deſideria compleantur. Per Chriſtum Dominum noſtrum. ℟. *Amen.*

Poſtmodùm Sacerdos, & Clerus procedunt ad lavanda eodem ritu reliqua omnia Eccleſiæ Altaria, & ad quodlibet Altare Chorus repetit *Aſperges me &c.* & Pſalm. *Miſerere mei Deus &c.* Sacerdos autèm ubiquè recitat diverſum Reſponſorium, diverſos Verſiculos, & di-

diverſam quoquè Orationem, quæ tamèn omnia ad Dominicę Paſſionis myſterium diriguntur, & ex Miſſali, vel Breviario Romano deſumpta ſunt: e.g. ad Altare S. Stephani recitat Reſponſor. *Seniores populi &c.*

℣. *Ne perdas cum impiis Deus animam meam.*

℟. *Et cum viris ſanguinum vitam meam.*

Oratio.

Deus, à quo & Judas reatus ſui pœnam, & confeſſionis ſuæ Latro prœmium ſumpſit, concede nobis tuæ propitiationis effectum, ut ſicùt in Paſſione ſuâ Jeſus Chriſtus Dominus noſter diverſa utriſque intulit ſtipendia

D

dia meritorum, ità nobis, ablato vetuſtatis errore, reſurrectionis ſuæ gloriam largiatur. Qui tecum &c.
Et ſic de aliis.

XII. Eodem planè modo, eadêmque die agitur etiàm hæc Cœremonia in *Metropolitanâ Eccleſiâ Colonienſi*, in quâ paritèr ſingula Altaria per unum ex Canonicis Sacerdotem vino, & aquâ abluuntur. Sacræ tamèn preces non ad Dominicam Paſſionem, ſed ad cujuſque Altaris Patronum diriguntur: e. g. dum lavatur Altare majus S. Petro dicatum, dicitur Antiphona. *Solve, jubente Deo, terrarum, Petre, catenas: qui facis, ut pateant cœleſtia regna beatis.*

℣. Ex-

℣. *Exaltent eum in Eccleſiâ plebis.*

℟. *Et in Cathedrâ ſeniorum laudent eum.*

Oratio.

Deus, qui B. Petro Apoſtolo tuo, collatis clavibus Regni cœleſtis, ligandi, atquè ſolvendi Pontificium tradidiſti, concede, quæſumus, ut interceſſionis ejus auxilio à peccatorum noſtrorum nexibus liberemur. Per Chriſtum &c.

Ad Altare S. Antonii Abbatis.

Antiphona. *O lampas ardens in virtute, ò lucerna ſupèr candelabrum poſita, Antoni ſerve Chriſti, ad cujus ſuffragia languentium ſuſpirant vota, confer nobis vitæ ſubſidia, ut per*

tua merita valeamus cuncta evadere pericula, & gebennæ ignis incendia.

℣. *Amavit eum Dominus, & ornavit eum.*

℟. *Stolam gloriæ induit eum.*

Oratio.

Deus, qui concedis obtentu B. Antonii Confeſſoris tui, atquè Abbatis morbidum ignem extingui, & membris ægris refrigeria præſtari, fac nos propitius ipſius precibus, & meritis à gebennæ ignis incendiis liberatos, integros mente, & corpore tibi felicitèr in glorià præſentari. Per Chriſtum Dominum noſtrum &c.

Et ſic fit conſequentèr ad ſingula Altaria, eo planè modo, qui

qui ſervatur à Fratribus Ordinis Prædicator., ut ſuprà docuimus.

XIII. Eâdem die poſt denudationem Altarium ea vino, & aquâ lavantur in *Metropolitanâ* quoquè *Eccleſiâ Moguntinâ*, ſed nullis adhibitis ſacris precibus: & abſterſione peractâ, iis cujuſque menſæ locis, in quibus ſignum Crucis exciſum eſt, infiguntur parvi cerei in modum Crucis formati, & accenduntur. Hæc itidèm ad Leodienſem, Trevirenſem, Colonienſem, & Moguntinam inſignes Eccleſias pertinentia ex Germaniâ accepimus, curante Reverendiſſimo D. Petro Lamberto Ledrou Apoſtolici Sacrarii Præfecto.

XIV. Conſimilis Moguntinæ conſuetudini Ritus ſervabatur etiàm antiquitùs in *Metropolitanâ Eccleſiâ Salisburgenſi*, in cujus cœremoniali *Codice Agendorum part. 2. ſub titulo. Ordo in Matutinis Cœnæ Domini &c. pag. mihi* 147. ità deſcriptus habetur. *Peracto Officio veſpertino campanæ non pulſantur uſquè in Sabbatum Sanctum. Altaria nudentur uſquè in mane Sabbati, & laventur aquâ, & ramis Savinæ fricentur, & in medio, & unoquoque quatuor cornuum in modum crucis vinum ſuperfunditur à Sacerdote: & ſupraponuntur ad ea loca cerei ardentes in modum Crucis complexi, & ac-*

accenſi. Interìm canit Chorus Reſponſorium de Patrono Altaris: & tandèm Sacerdos ſubmiſsâ voce canit ℣. & Collectam de eodem. Noſtrâ autèm ætate hìc Ritus in eâdem Saliſburgenſi Eccleſiâ omninò antiquatus eſt, ut accepimus.

XV. Viget inſupèr hodiè hęcCęremonia in pleriſque tum ſecularibus, tum regularibus Eccleſiis Regni *Poloniæ*, agiturque fer. v. in Cœnâ Domini immediatè poſt denudationem Altarium. Detecto ſiquidèm Altari majori cujuſque templi poſt Miſſam juxtà Miſſalis Rubricam, illicò Sacerdos cum aſſiſtentibus ſibi miniſtris idem Altare abluit aquâ benedictâ,

& deindè diligentèr abſtergit cum aſperſorio ex hyſſopo, aliâve herbâ huic uſui idoneâ, Choro intereâ nonnullas ſacras preces recitante. Ità nobis teſtatus eſt Reverendiſſimus D. Nicolaus Poplanski Livoniæ Epiſcopus, nunc Romæ degens, qui præterea, dum in eo Regno antè Infulas Parochiali fungeretur officio, ſe pluriès ſacram hanc cœremoniam peregiſſe commemoravit.

XVI. In *Hiſpaniarum*, & *Luſitaniæ Regnis* nullæ quidèm ſeculares Eccleſiæ, quod ſciamus, hunc Ritum hodie retinent, etsì antiquitùs Hiſpanicis Eccleſiis familiarem fuiſſe conſtet ex ſcriptis S. Iſidori, cujus teſti-

teſtimonium inferiùs dabimus. Non tamèn ideò in memoratis provinciis penitùs intercidit, ac obſolevit, nam prætèr Carmelitas, Prædicatores, & fortaſsè alios ex regularibus Familiis, eum ritum adhùc conſtantèr obſervant *Canonici Regulares Ordinis Præmonſtratenſis*, qui nedùm per *Hiſpaniam*, ac *Luſitaniam*, verùm etiàm per *Galliam*, *Belgium*, *Germaniam*, *Bohemiam*, *Hungariam*, & ubivìs locorum, in quibus eorum Monaſteria condita ſunt, eamdem cœremoniam quotannìs peragere ſolent. Hæc autèm in ipſorum Ordinario ità præſcribitur.

XVII. *Fer. V. in Cœnâ Domini*

mini ſub proceſſione Sacriſta, vel alius denudet ſummum Altare, in quo à parte Epiſtolæ ponat urceum cum aquâ, & alterum cum vino, ac faſciculum ex ramis Palmarum; quæ ſimilitèr præparet ad duo Altaria extrà Chorum hinc indè ſummo Altari viciniora. Repoſito itaquè Venerabili Sacramento eodem ordine redit Proceſſio ad Chorum, & Prælatus aſcendit ad medium Altaris. Prior autèm, & Subprior in habitu, quo ſunt, exeunt per oſtia lateralia, quiſquè à ſua parte, ad Altare viciniùs, & unumquemque eorum ſequitur unus ex Ceroferariis, ut faſciculum, vinum, & aquam admi-

miniſtrent. Prælato ergò ſtante cum Mitrâ antè Altare intèr Diaconum, & Subdiaconum, Cantores incipiunt Reſponſorium Circumdederunt, *quod cum ſequentibus cantatur à Conventu in ſtallis ſuis verſis ad ſe mutuò vultibus, ſed ſub collectis ſe ad Altare convertunt. Incœpto dicto Reſponſorio dat Diaconus Prælato faſciculum ex ramis Palmarum; deindè ex urceo aliquantulùm aquæ fundit ſupèr medium Altaris, quam Abbas faſciculo dilatat per planitiem Altaris, miniſtris fimbrias Pluvialis ſublevantibus. Eo facto faſciculum deponit, & accepto urceolo altero, vel ampullâ vini à Diacono,*

Digitized by Google

cono, de eodem ſupèr Altaris medium fundendo, crucem cum vino format. Eodem modo faciunt Prior, & Subprior ad ſingula Altaria extrà Chorum, unus ab unâ parte Templi, alter ab alterâ, Acolythis juvantibus, ut jam dictum eſt de Diacono. Abbas, ſtatìm ut laverit ſummum Altare, venit ad Faldiſtorium ſuum, & cum Miniſtris ſedet. Finito Reſp. Circumdederunt, *ſequitur Reſponſorium* Chriſti Virgo, *circà cujus Reſponſorii finem venit Prælatus ad Altare, & ſtantibus poſt ipſum Diacono, & Subdiacono, depoſitâ Mitrâ, ſubjicit Verſum, & Collectam convenientem, ex libro per Aſſiſtentem*

tem

tem exhibito: quâ finitâ rursùm venit ad Faldiſtorium, ut ſuprà, & cantatur Reſponſorium de Patrono Eccleſiæ (ſi jam antè pro ſummo Altari cantatum non fuerit) ac poſteà Reſp. Domi, & foris *de S. P. Norberto : ultimò Reſponſorium* Concede *de omnibus Sanctis: aut ſi Prior, & Subprior in lavandis Altaribus nondùm abſolverint, antè Reſp.* Concede *præmittitur adhùc aliud pro arbitrio Cantoris. Prælatus autèm poſt ſingula Reſponſoria, Verſum, & Collectam correſpondentem ſubjungit, ſtans ad Faldiſtorium ſuum: & terminatâ Collectâ de omnibus Sanctis, factis antè infimum gradum*

dum Altaris debitis reverentiis, ad Sacriſtiam revertitur. Altaria autèm manent denudata uſquè ad Vigiliam Paſchæ.

XVIII. Deniquè minimè prętereundum arbitror aliquam hujus pii moris imaginem extare etiamnùm in Orientalibus plagis apud *Syriacam nationem*. Hæc equidèm lavandi Altaria conſuetudinem non admiſit, ſed eorum loco abluere ſolet, ac deindè odorato pulvere conſpergere ipſum ſanctiſſimi Crucifixi Simulachrum religiosâ planè cœremoniâ, quam operæ pretium fuerit hìc deſcribere.

In *Syriacis* itaquè *Eccleſiis*, recurrente qualibet fer. vj. in Pa-

Paraſceve, peractis aliis matutinis precibus, Prælatus cappâ nigri coloris indutus è Choro egreditur, dextero humero geſtans Crucem majorem Eccleſiæ cum Simulachro ſanctiſſimi Crucifixi, quod nigro panno de more obductum eſt, & comitantibus Sacerdotibus, ac reliquis ex Clero, atratâ itidèm veſte, cum cereis accenſis, ſolemnem Proceſſionem peragit per ambitum interiorem Eccleſiæ, Cantoribus intereà concinentibus ſacras preces ad Redemptoris noſtri Paſſionem pertinentes. Statìm ac ad Altare majus Proceſſio pervenerit, Prę-latus ibì ſiſtens, Crucifixo denudato, quatuor orbis partes, ideſt Orien-

Orientem, Occidentem, Meridiem, ac Septentrionem ſolemnitèr benedicit, & ſubindè Crucem ſtatuit mediam inter duo candelabra cum cereis ardentibus ſuprà parvum Altare eâ occaſione extructum, quod Montem Calvariæ vocant. Recitantur poſtmodùm Horæ, legitur Paſſio D. N. J. C. & ſacra concio habetur de eodem argumento. Quibus abſolutis proceditur ad adorationem Crucis, eâque finitâ Prælatus utrumque brachium præcinctus candido linteo Crucem accipit, eamque iterùm, Clero, & populo comitantibus, proceſſionalitèr geſtat per Eccleſiam. Ubi verò ad Altare majus reverſus fuerit,

ſuprà

ſuprà illius menſam antè denudatam ſternit Crucem, & mox ope aſſiſtentium Sacerdotum Simulachrum Sanctiſſimi Crucifixi circumquaquè diligentèr abluit aceto, vel aquâ roſaceâ, ſuppoſito magno vaſe ad liquorem, qui deciderit, excipiendum; quòd ſi aqua, vel acetum roſaceum præſto non ſint, adhibet in eum uſum aquam naturalem, & ſimplicem, nunquàm verò vinum. Idem poſteà Simulachrum accuratè conſpergit, perfunditque variis odoratis pulveribus ad id præparatis, illudque ſubindè circumtegit lectiſſimo goſſypio, cui linteum, quo erat præcinctus, ſuperinducit, ipſumque linteum trifa-

riàm faſciâ obligat. Simulachrum hoc modo conveſtitum, obligatumque cum Cruce illicò proceſſionali ordine defert ad Capſulam lapideam, aut marmoream ritè diſpoſitam, in quâ illud condit, componitque, ac demùm ejus operculum triplici ſigno obſignat. Exprimit hæc Capſula figuram Dominici Sepulchri, & antè ipſam diù, noctùque ardet lampas uſquè ad Matutinum Dominicæ Sanctiſſimæ Reſurrectionis, quâ tandèm Prælatus, univerſo comitante Clero, Crucem cum Simulachro Sanctiſſimi Crucifixi è Capſula educit, atquè denudat, & ſubindè proceſſionalitèr refert ad Altare majus, antè cujus

cujus gradus ſiſtens eam Clero, & populo ſpectandam, ac adorandam exhibet, dicens altiori voce: *Surrexit Dominus verè*. Clerus autèm, & populus Prælato reſpondent: *Verè credimus ſurrexiſſe*; quo facto Crux eidem Altaris loco, undè triduo antè amota fuerat, reſtituitur. Quæ verò aqua, vel acetum roſaceum è Crucifixo, dum ablueretur, in vas ſuppoſitum decidit, fidelibus petentibus diſtribuitur, qui liquorem parvis vaſculis certatìm exceptum ad proprias ędes comportant, eumquè devotionis gratiâ jejuni bibere ſolent. Hoc pacto Syriaca Gens in omnibus ſui Ritus Eccleſiis, multò autèm ſolemniùs,

ac religioſiùs in Hieroſolymitano templo Sancti Sepulchri, quotannìs recolere ſtudet memoriam Paſſionis, Sepulchri, & glorioſæ Reſurrectionis Salvatoris Noſtri Jeſu Chriſti, habetquè hanc cœremoniam intèr ſolemniores præſcriptam, atquè ſancitam in ſuo, quo utitur, Rituali, ut nobis pluriès teſtatus eſt Reverendiſſimus Dominus Gregorius Joſue Archiepiſcopus Hieroſolymitanus pro Syriacâ natione, qui nunc Romæ degit, Syriacorum Rituum peritiâ, ac pietatis laude probatiſſimus.

CAP.

CAP. IV.

De conſuetudine Eccleſię Gręcę in ablutione Sanctæ menſæ fer. V. in Cœnâ Domini.

I. COEREMONIAM hactenùs explicatam non tantùm Eccleſia Latina, ſed etiàm Græca antiquitùs uſurpavit, ejuſque forma deſcripta habetur in Euchologio, ſeu Rituali Græco-

Digitized by Google

rum ſub titulo, *Ordo fieri ſolitus magnâ feriâ quintâ in ablutione ſanctæ Menſæ*, de quo mox dicetur. Noſtrâ ætate inter Occidentales græci Ritus Eccleſias Venetiis tantùm obſervari comperimus, cum in cæteris, ut multa alia, jamdiù exoleverit; in pleriſquè tamèn Orientalibus cuſtodiri etiamnùm, ac vigere à probatæ fidei viris accepimus. Certè hodiernam Conſtantinopolitanæ Eccleſiæ conſuetudinem teſtatur *Macrius in notitiâ Vocabul. Eccleſ. verb. Altare*; nec de communi reliquarum uſu ambigere videntur interpres, & ſcholiaſtes ejuſdem Euchologii *Jacobus Goar in ſuis notis in d. Ordi-*

nem

nem pag. 626. *num.* 1. *Bellotte in Obſervat. ad Ritus Eccleſ. Laudunen. pag. mihi* 806. *n.* 1. *&* *Claudius Epiſc. Andegaven. in lib. de Proceſſion. Eccleſiaſt. cap.* 12. *circa finem*. Quaproptèr mirum ſanè videri poterit eruditis hujus græcanicæ conſuetudinis nullatenùs meminiſſe in alibì laudato Opuſculo Suareſium Epiſcopum Vaſionenſem, qui cæteroquìn græci ſermonis, græcorumque Rituum peritiſſimus fuit. Hæc autèm Altaris ablutio apud Græcos fit apparatu, pompâque longè majori, quam in Latinorum Eccleſiis, ejuſque ſolemnitas in Euchologio præſcribitur ſub formâ, quam, ut *Goar* latinè red-

 didit,

didit, operæ pretium ducimus hìc ſubjicere.

Ordo fieri ſolitus magnâ fer. V. in ablutione ſanctæ Menſæ.

II. *Cantatis tertiâ, & ſextâ Odis Sanctiſſimus Patriarcha in Metatorium, ideſt Sacriſtiam, vel juxtà Diaconorum ſedem deſcendit, & è dexterâ parte ad Altare procedit, & ablutio ſanctę Menſæ perficitur hoc pacto. Stante coràm ſanctâ Mensâ Patriarchâ, Chartophylax egreditur ſimùl cum Commentarienſi, & Sacro Suggeſtore, præcedentibus eos Notariis, Metropolitaſque, & Archiepiſcopos vocant. Qui ad Altare*

tare Caſulis ornati ingrediuntur, & ſalutato Patriarchâ ſtant in ſacræ Menſæ circuitu, & cum illis Presbyteri, & Diaconi. Incenſo verò primùm ſanctam Menſam ſuffumigat Patriarcha, & eam ſignat; deindè tacitus dicit Orationem denudandi Altaris in hunc modum.

Domine Deus noſter, qui vivificâ tuâ morte mortem interemiſti, & nos à peccati paſſionibus exemiſti, ipſe nunc ſalutaris tui Sepulchri figuram nos circumſtantes, & cordis affectum debito miniſterio conſecrantes ſecundùm multitudinem miſerationum tuarum ſuſcipe, & myſticæ tuæ Cœnæ

con-

convivas aſſumere, & cœleſtis regni, bonorumque omnium beatitudinis, & gloriæ immortalis participes nos efficere dignare. Quoniàm à te eſt fons vitæ, & tibi gloriam referimus cum principii experte tuo Patre, & cum ſanctiſſimo, & bono, & vivifico tuo Spiritu nunc, & ſempèr, & in ſecula ſeculorum.

Et dicto Amen *ſanctam Menſam denudat, manum ei prebentibus Metropolitis, Archiepiſcopis, Presbyteris, & Diaconis; & cum devotione Pſalmum quinquageſimum remiſsè canentibus*: Miſerere mei Deus &c. *deindè Pſalmum vigeſimum quintum recitat*: Judica

ca me Domine, quoniàm ego in innocentiâ meâ ingreſſus ſum. *Tum Pſalmum octuageſimum tertium*: Quàm dilecta tabernacula tua Domine. *Quibus completis profert Sacriſta ſpongias, & diſcos, teſtacea vulgò dictos, ſivè catinos, & abſtergitur ſancta Menſa. Mox promit Chartularius urceolum, caldarium communitèr vocatum, & ait*: Benedic Domine, *& aquam ferventem ſanctæ Menſæ infundit. Diſtribuuntur autèm à Patriarcha Metropolitis, & Archiepiſcopis, & Presbyteris mappulæ lineæ, quibus ſanctam Menſam perfricant. Tandemquè ſpongias impertitur iiſdem, & aquam ro-*

ſa-

ſaceam infundit; illi autèm ſpongiis eam detergunt. Tum verò velamen ad carnem dictum Altari apponunt, & alia deincèps operimenta, Patriarchâ hanc orationem faciente.

O clemens, & miſericors Deus, qui ineffabili tuâ bonitate ad ſancti, & illibati Altaris tui miniſterium in utilitatem noſtram aſſumpſiſti; ipſe quoquè nunc in multitudine miſericordiarum tuarum in nos reſpice, & noſtrum inutilè obſequium à nobis circà ſanctam tuam Menſam cum timore, & tremore aſtantibus præſtitum, tibi acceptum fieri concede, & per factam in eâ illibatam ablutionem ab omni carnis, & ſpiritus im-

impuritate nos emunda, à ſordidis peccatis ſenſus omnes noſtros perpurga, & tremendo, divinoqueSacrificio vivifici ſanguinis, & corporis tui (immortalitatis nobis comparandæ gratiâ in ſepulchro depoſiti, & cum gloriâ die tertiâ reſurgentis, & ſanctiſſimum Sepulchrum tuum, tamquàm inexhauſtum vitæ, & incorruptionis fontem nobis efficientis) ſine labe, & maculâ nos aſſiſtere largire; in eo namquè morte devictâ, & peccato ejus ſtimulo deleto, divinâ tuâ poteſtate, & virtute, convivificati ſumus, & conſurreximus, te, reſurrectionis noſtræ primitias, pro nobis crucifixum, mortuum, & reſurgentem

tem glorificantes. Tu es enìm Deus noſter, & reſurrectio, & ſalus,& tibi gloriam rependimus cum principii experte tuo Patre, & cum ſanctiſſimo, & bono, & vivifico tuo ſpiritu nunc, & ſempèr, & in ſecula ſeculorum.

Poſtmodùm ſanctam Menſam per circuitum thurificat Pontifex, & cereis pinnatis ſignat, atquè ità indè ſe transfert, & ſpongias in populum diſtribuit; rurſumquè dextrâ parte egreſſus ambulacro, ſivè fornice Eccleſiæ dextro in veſtibulum ſe transfert. Et portis regiis clauſis è regione portæ majoris menſa tapete, ſeù mappâ operta ſtatuitur, & ſuprà menſam ſanctum Euangelium loca-

locatur, atquè hinc, & indè candelabra. Deindè thus adolet, & cereis Crucis ſignum exprimit Patriarcha; hujuſmodì verò cerei, ſivè pinnæ candelabris infiguntur. Tum verò Archidiaconus dicit: Benedic Domine: *ſubjungit Patriarcha*: Benedictum Regnum Patris, & Filii, & Spiritus Sancti nunc, & ſempèr, & in ſecula ſeculorum. Amen. *Mox incipiunt Veſperæ, & lavipedii officium.* Hactenùs Euchologium.

III. Alius autèm Ritus habetur in *Typico S.Sabæ cap.*41. *fol. mihi* 129., cujus verba in latinam linguam translata hìc ſubjiciemus.

Fer. quintâ in Cœnâ Domini

circà

circà horam ſextam, dato ſigno, congregamur in Eccleſiæ porticu, & canimus uno, eodemque tempore tres Pſalmorum trium horas, deindè Typica, & Beatitudines planâ voce recitantur, atquè inſupèr oratio, quæ incipit: Remitte, condona: Oratio Dominica, & Contacium, ſivè Canticum diei, nec non Kyrie eleiſon quadragiès. *Hiſce autèm omnibus, itemquè conſuetâ prece, abſolutis, ingredimur Eccleſiam, & recitato Triſagio, Prælatus, Sacerdotes, & Eccleſiarcha intrant Sanctuarium, & ablato mantili, cæteriſquè velis, quibus Altare tegi ſolet, etiàm illo, quod ad carnem dicitur, ipſum prorsùs de-*

nu-

nudant, & primò quidèm mundiſſimâ ſpongiâ tergunt, deindè tepidâ lavant aquâ, cui Οἰνάνθη Oenanthe, *& aqua roſacea admixta ſunt. Poſt ablutionem aqua in vas novis ſpongiis abſterſum conjicitur, & rursùs Altare deincèps tegitur, mutato tamèn velo, quod ad carnem dicitur, & magno antimenſio, quod ſubtùs illud eſt, horum loco alia reponendo. His ità peractis Prȩlatus ſtat antè Sanctuarium, manu vas cum ſacri Altaris ablutione geſtans, eâque omnes fratres perungit, & factâ oratione ad cellas noſtras revertimur.*

IV. Hic autèm Ritus à S. Sabâ traditus nullibì, quod ſcia-

mus, hoc tempore obſervatur, & probabile eſt olìm quoquè viguiſſe tantùm in Monaſterio, cujus regimini author præfuit, & in cujus uſum Typicum ipſum conſcripſit, ut notat *Cave in Hiſtor. literar. par. 2. pag. mihi* 88. vel ſaltèm, quatenùs alibì quoquè in morem inductus fuerit, deindè obſoleviſſe, ſubrogatâ formâ in Euchologio præſcriptâ; quamvìs in iis, quæ ad divini Officii recitationem ſpectant, cum ordo in Typico traditus longè cæteris melior, & rebus accommodatior exiſtimaretur, non tantùm authoris Monachi, ſed reliqui etiàm aliorum Ordinum ſectatores, & Sacerdotes in ſeculo

vitam

vitam agentes, adeòque univerſa ferè Græcia eodem Typico uti conſueverit, & adhùc utatur teſte *Leon. Allat. de Libr. Eccleſiaſt. Græcor. diſſertat.* 1. *pag. mihi* 9.

V. Circà ſignificationem Οἰνάνθη *Oenanthe*, quod juxtà Typicum S. Sabæ in ablutione ſanctæ Menſæ adhibebatur, non levis occurrit difficultas. Vinum odoratum, ſeù fragrans illud vocat *Simeon Theſſalonicenſis in libro adhùc inedito de Sacramentis apud Goar pag.* 849. *Eucbologii*, ubì loco Οἰνάνθης habet Οἶνον Εὔοσμον. Putant alii eſſe florem vitis, ſeù labruſcæ, vel vitis agreſtis, vel uvam germinantem, aut potiùs

uvam ex labruſcâ pullulantem, quibus nominibus exponitur apud *Suidam*, *Dioſcor. lib. 5. cap. 2. & cap. 5. Henr. Stephan. in Theſaur. ling. græc. Macr. in notitia vocabul. Eccleſ. verbo Oenanthe*. Eſt etiàm herba in petris naſcens, folio paſtinacæ, radice magnâ, numerosâ, de quâ *Plin. hiſtor. natural. lib. 21. cap. 24. Dioſcor. lib. 3. cap. 135. Theophraſt. hiſt. plantar. lib. 6. cap. 7*. Eſt prætereà nomen avis apùd *Ariſtotel. hiſtor. animal. lib. 9. cap. 49.* ubì Gaza: *Oenanthe, quasì vitifloram dixeris*. Plures demùm unguentum, vel opobalſamum quoddam interpretantur ex liliorum floribus, & vino compoſitum teſte *Paulo*

Ægi-

Ægineta lib. 7. *cap.* 299. *juxtà edition. Baſileenſ. ann.* 1538. Unguentum Oenanthinum, & oleum Oenanthinum memorantur à *Plin. lib.* 23. *cap.* 1. *&* 4. *Dioſcor. lib.* 1. *cap.* 149. *& lib.* 5. *cap.* 33. eoque unguenti genere, quod etiàm Oenanthium appellarunt, ſolebant olìm luxuriæ proceres ſe ſe perfundere, cum è balneis egrederentur; quìn etiàm eo veſtes, menſaſque liniebant, & domum quoquè totam aliquandò conſpergebant; undè Heliogabalus à Lampridio notatus eſt *pallia de Oenanthio fudiſſe*, hoc eſt pallia adhibuiſſe Oenanthino unguento perfuſa, quibus è balneo egreſſus involvebatur ad

ſudorem eliciendum, ut explicat *Salmaſius ibidèm*.

VI. Hæc autèm opinio, quod nimirùm *Oenanthe* adhiberi ſolitum cum aquâ roſaceâ in ablutione ſanctæ Menſæ ex præſcripto Typici S. Sabæ eſſet unguentum, vel opobalſami genus, probabilior videtur, quippè quod aptiùs congrueret uſui unctionis Monachorum à Prælato faciendæ poſt ipſam Altaris lotionem, ut ſuprà tradidimus.

CAP.

CAP. V.

De origine, ac antiquitate moris lavandi Altaria fer. V. in Cœnâ Domini, vel ſequenti fer. VI. in paraſceve, apùd utramque Eccleſiam.

I. FREQUENS admodùm apùd veteres, ut etiamnùm, fuit aquæ uſus in ſacris, quòd illius aſperſione non modò cor-

poream labem tolli, ſed etiàm corporis caſtimoniam præſtari opinarentur, ut tradit *Tullius lib.* 1. *de legibus*. Hinc naturali quodam inſtinctu edocti, nonnisì puros ad Deum accedere debere, mundoſque Numini ſupplicare, ſæpiùs ſe aquâ mundabant, antequàm templa adirent, & Numina precarentur. De Ægyptiis, & Græcis id teſtatur *Herodotus in Euterpe*. De Romanis *Tibull. eleg.* 1. *lib.* 2. his verſibus.

Caſta placent ſuperis: purâ
cum veſte venite,
Et manibus puris ſumite fontis aquam.

Perſius Satyr. 2.

Hæc ſanctè ut poſcas, Tibe-

berino in gurgite mergis
Mane caput bis, terquè, & noctem flumine purgas.

Quòd ſi quis cęde aliquâ pollutus fuiſſet, bis ſeptenis immerſionibus ſe, ſuaſque veſtes abluebat aquâ, eâque expiatione ab omni maculâ abſtergi arbitrabatur, ut notant *Alexand. ab Alex. genial.dier.lib.*4. *cap.*17. *Gyrald. lib. de Sacrific. Syntagm.* 17. quin etiàm, antequàm aquâ ſe purgaſſet, ſacra tangere nefas ducebat: undè Æneas apud *Virg. lib.*2. *Æneid.* ità patrem alloquitur.

Tu genitor cape ſacrâ manu, patrioſque penates:
Me bello ex tanto digreſſum, & cæde recenti

Attre-

Attrectare nefas, donèc me
flumine vivo
Abluero.

Et ſolemni præfatione eos, quibus puræ manus non eſſent, ſacris arceri conſueviſſe, *Livius lib.* 41. tradit his verbis: *Cum omnis præfatio ſacrorum eos, quibus non ſint puræ manus, ſacris arceat.*

II. Porrò in Sacrificiis alii aliâ peculiaris fontis, ſeù fluminis aquâ uti ſolebant, quam ad diverſos uſus adhibuiſſe magni criminis inſtar erat, ut pluribus exemplis oſtendit *Alexand. ab Alex. ubì proximè*. Apùd Romanos autèm ſummæ religionis erat aqua fontis Juturnæ juxtà Numicum amnem, quæ in omnibus

nibus ſacris adhibebatur, eamque ſuprà humum poſuiſſe piaculum, ac triſte omen erat; quocircà vas excogitaverant lato ore, & in imâ parte anguſtum, quod, cum ſtare non poſſet, quin effunderetur, illud manibus ſuſpenſum tenebant, ut ex *Lactantio ad Stat. lib.* 8. *Thebaid.*, *& Servio ad Virgil. lib.* 11. *Æneid.* fusè, doctèque tradit *Tiraquell. in adnotat. ad Alex. loco proximè allegat.*

III. Utebantur prętereà ſępiſſimè aquâ luſtrali, ideò dictâ, quòd eâ à Sacerdote luſtrationis, hoc eſt purgationis causâ, aſpergerentur, de quâ *Ovid.* 3. *de Ponto.*

Spargit aquâ captos luſtrali graiâ Sacerdos.

Hac

Hac autèm luſtrali aquâ in certis ſacrificiis nedùm ſe ipſos, ſed ipſa Idola, eorumque templa, adeòque etiàm altaria aſpergere, & expiare conſueverant; cujus moris habemus luculentiſſimum teſtimonium apud *Tertull. lib. de Baptiſmo c.5.* ubì hæc ait: *Sed enìm nationes extraneæ ab omni intellectu ſpiritalium poteſtatem eàdem efficacià Idolis ſuis ſubminiſtrant, ſed viduis aquis ſibi mentiuntur. Nam & ſacris quibuſdam per lavacrum initiantur, Iſidis alicujus, aut Mithræ: ipſos etiàm Deos ſuos lavationibus efferunt. Cæterùm villas, domos, templa, totaſque urbes aſpergine circumlatæ*

latæ aquæ expiant paſsìm.

IV. Hos, & plures alios conſimiles Ritus conſtantior opinio eſt à Judæorum lege ad Ethnicos diaboli quadam invidiâ fuiſſe traductos: quam ſententiam egregiè firmat, ac illuſtrat idem *Tertullian. de præſcription.cap.*40.*juxtà Cod. Rigalt.* ubì multis allatis exemplis hæc deindè ſubdit:*Cęterùm, ſi Numæ Pompilii ſuperſtitiones revolvamus, ſi ſacerdotalia officia, inſignia, & privilegia, ſi ſacrificalia miniſteria, & inſtrumenta, & vaſa ipſorum ſacrificiorum, ac piaculorum, ac votorum curioſitates conſideremus, nonnè manifeſtè diabolus moroſitatem*

illam

illam Judaicæ legis imitatus?

V. Moris enìm fuit etiàm apud Judæos, nonniſì lotis manibus, divinum adorare Numen, ut notat *Ariſteus de ſeptuaginta duobus Interpretibus* hæc ſcribens: *Rege conſalutato ad conſueta loca divertunt, atquè* (ut mos eſt Judæis omnibus) *manibus priùs in mari lotis Deo preces effundunt*: & paulò poſt; *interrogavi equidèm & illud quoquè, cujus gratiâ, cum vota facerent, manus priùs lavarent. Quærenti talia demonſtrarunt illud teſtimonium eſſe, nequid perperàm agant, ſed piè, ſanctèque perficiant; quandoquidèm univerſa opera manibus exerceantur: rectè ſingula*

ad

ad juſtitiam, & *veritatem referentes*. Quâ ratione poſitum olìm erat in Templo Hieroſolymitano labrum æneum cum aquâ ad emundationem, de quo hæc leguntur in *Exodo cap.* 30. *à verſ.* 18. *Facies* & *labrum æneum cum baſi ſuâ ad lavandum, poneſque illud intèr Tabernaculum teſtimonii*, & *Altare*: & *miſsâ aquâ lavabunt in eâ Aaron*, & *filii ejus manus ſuas*, & *pedes, quandò ingreſſuri ſunt in Tabernaculum teſtimonii*, & *quandò acceſſuri ſunt ad Altare, ut offerant in eo thymiama Domino*.

VI. Solebant itidèm Judæi, cum contingeret aliquem ex contactu cadaveris, vel morti-

cini, vel alterius rei immundæ contaminari,ſtatis diebus aſpergi aquâ luſtrali ex cineribus vaccæ,ſeù vitulæ rufæ extrà caſtra, vel urbem exuſtæ, præſcriptâ in *lib. Numer. cap.* 19., & per ſingulas Palæſtinæ urbes quotannìs diſtribui ſolitâ, ut per eam ab immunditiâ contractâ expiarentur. Quæ quidèm luſtralis aqua typus fuit aquæ baptiſmalis, vel lavacri pœnitentiæ in lege gratiæ, ut *S. Auguſtinus*, *Theodoretus*, *&* *alii SS. Patres* interpretantur.

VII. Mundabatur quoquè à Judæis Altare poſt immolatam expiationis hoſtiam in conſecratione Sacerdotum filiorum Aaron ex præcepto *Exodi c.* 29.

ver.

ver. 36. & 37. Mundabiſque Altare, cum immolaveris expiationis hoſtiam, & unges illud in ſanctificationem. Septem diebus expiabis Altare, & ſanctificabis, & erit Sanctum Sanctorum: omnis, qui tetigerit illud, ſanctificabitur.

VIII. Multa ſanè ex Gentilium, Judęorumque inſtitutis in Chriſtianam Religionem invecta, & ſacris additis precibus in ſanctiorem uſum fuiſſe converſa notant paſsìm Eccleſiaſtici Scriptores, & præ cæteris *Hallier de Sacris electíon. tit. de Ritibus Sacræ Ordination. art. 3. per tot. pag. mihi 953., & ſeqq.* In his aquæ benedictæ origo, quâ in Eccleſiis, privatiſque ædibus,

pio ſanè ritu, ad leviorum peccatorum expiationem aſpergimur, fluxiſſe creditur vel ab aquâ luſtrali Ethnicorum, vel, ut *Baronio ad ann.* 57.*num.* 110. magìs placet, ab aquâ emundationis, quâ Sacerdotes Judæi ante ingreſſum in Sancta manus, pedeſque abluebant, ut ſuprà oſtendimus. Quin etiàm, ut *Baronius* ibidèm narrat, & plurium veterum Scriptorum, qui Conſtantini ſeculo floruere, teſtimoniis præclarè confirmat, antiquitùs pro foribus templi extruebatur fons, vel ſaltèm ponebatur vas cum aquâ, quâ ſinguli fideles corporis ſordes abluere, ſequè purificare ſolebant, antequàm Eccleſiam ingre-

grederentur; ſicutì etiàm Judæos ex præſcripto Exodi hujuſmodi vas, ſeù labrum in templo poſitum ad emundationem habuiſſe ſuprà tradidimus.

IX. Huic prçcipuè miniſterio inſerviebat lavacrum, ſeù fons ille poſitus in atrio veteris Baſilicç Vaticanç, cujus *S. Paulinus Nolanus meminit epiſt.* 31. *ad Aletium ſcribens* his verbis: *in veſtibulo cantharum miniſtra manibus, & oribus noſtris fluenta ructantem faſtigiatus ſolido ære tholus ornat, & inumbrat, non ſinè myſticâ ſpecie quatuor columnis ſalientes aquas ambiens; decet enìm ingreſſum Eccleſiæ talis ornatus, ut, quod intùs myſterio ſalutari geritur,*

 ſpe-

ſpectabili pro foribus opere ſignetur; & epiſt. 12. ad Severum de aliâ Eccleſiâ hęc cecinit.

Sancta nitens famulis interluit atria lymphis
Cantharus, intrantumque manus lavat, amne miniſtro.

X. Prætereà communem tùm Judæis, tùm Gentilibus morem, nonnisì lotis manibus, divinum adorandi Numen uſurparunt etiàm veteres Chriſtiani, qui ſempèr antè precationem manus lavare conſueverant, ut *Card. Baron. ubi ſuprà num.* 109. allatis compluribus illuſtrium Scriptorum documentis luculentèr oſtendit.

XI. Ex his rimari, atquè conjicere licet perantiquum, &

in

in utrâque Eccleſiâ receptiſſimum morem abluendi Altaria in die Cœnæ Domini, vel ſequenti fer.vj. in paraſceve,ſuam primævam originem ducere potuiſſe, ut multa alia hactenùs expenſa, vel à non abſimili Gentilium conſuetudine expiandi Altaria, & templa aquâ luſtrali, vel à Judaico Ritu mundandi, ac ungendi Altare poſt immolatam expiationis hoſtiam, de quibus antè diſſeruimus. Probabile præthereà crediderim hunc morem initio ad munditiem potiùs, quam ad aliquod denotandum myſterium, fuiſſe inſtitutum, ut fortè tùm ab Ethnicis, tùm à Judæis uſurpabatur; cum etenìm

in toto anni curriculo hoc tantùm triduo ſanctioris hebdomadæ Altaria ex vetuſtiſſimo ritu denudata retineantur, nullum ſanè tempus aderat aptius, aut commodius ipſis Altaribus detergendis, atquè mundandis. Quod confirmari videtur ab ipsâ priſcâ Eccleſiæ conſuetudine lavandi hac eâdem die nedùm Altaria, verùm etiàm parietes, ſivè pavimenta cujuſque templi, & vaſa Domino ſacrata purificandi, ut infrà trademus; hæc enìm profectò nonnisì proptèr munditiem, atquè nitorem domus Dei, & ſacræ ſuppellectilis lavabantur. Quæ quidèm mundities, ac nitor ſummus hoc potiſſimùm tempore exige-
ba-

batur, cum inſtaret omnium maxima Chriſtianæ Religionis ſolemnitas, dies ſcilicèt Sanctus Paſchæ, quo omnia munda, ac nitida in Eccleſiâ ſpectari maximè decebat. Huic autèm naturali rationi admodùm veriſimile reor religioſi alicujus viri pietate myſticas deindè rationes, & ſignificationes ex additis rebus, & ſacris precibus, ut in aliis Eccleſiaſticis cœremoniis; fuiſſe ſuperinductas.

XII. Alia tamèn ab aliis ſanctior aſſignatur origo. Putant enìm hunc Ritum ab ipſomet Chriſto Domino, ſi non verbo, ſaltèm exemplo fuiſſe inſtitutum; qui, dum morti proximus viventium templorum, ideſt di-

ſcipulorum pedes abluit, reciprocam pedes abluendi, ſimulquè Altaria, templaque inanima luſtrandi formam exhibuiſſe viſus eſt. Hanc fuiſſe ajunt mentem *S. Eligii Noviomenſis Epiſcopi*, qui teſte *Bellarmin. de Scriptorib. Eccleſ.* floruit anno 640., *in Homil.* 8. *de Cœnâ Domini*, ubì annuam Altarium emundationem ad diſcipulorum lotionem à Chriſto ſuſceptam revocaſſe videtur, dicens: *& proptèr humilitatis formam commendandam eo die pedes eorum lavit; & hinc eſt, quod eodem die Altaria, templique parietes, & vaſa purificantur*: verba etenìm: *hinc eſt &c.* exemplar deductum à formâ primigeniâ, tam-

tamquàm rivum à fonte referunt, prout illa interpretantur, & explicant *Goar in notis ad Euchol. in ordinem magnã fer. V. obſervari ſolitum in lotione ſanctę Menſæ num.* 1. Bellotte *in obſervation. ad Rit. Eccleſ. Laudunenſ. pag.* 808. *lit. E.*

XIII. Eandem ſententiam ſecutus videtur *S. Iſidorus Hiſpalenſis* ejuſdem ferè temporis ſcriptor. *lib.* 1. *de Eccleſ. offic. cap.* 28. *de Cœnâ Domini*: ubì poſt laudatam Chriſti in Apoſtolorum pedibus lavandis humilitatem ſubdit: *hinc eſt, quod eodem die Altaria, templique parietes, & pavimenta lavantur, vaſaque purificantur, quæ ſunt Domino conſecrata*. Quasì pri-

prima lotio alteriùs eſſet origo, & indè manaſſe creditur conſuetudo, quam nedùm Eccleſia Græca, ſed etiàm plures Latinorum Eccleſiæ obſervant, ut una ablutio alteram ſubſequatur, quemadmodùm notant *Goar*, *&* *Bellotte* locis ſuperiùs allegatis.

XIV. Porrò, utcumquè ſit, an Altaria lavandi conſuetudo ſua duxerit primordia à Gentilium, Judęorumve Ritibus, vel potiùs à lotione pedum Diſcipulorum à Chriſto Domino peractâ, illud exploratum, certumque eſt, quod in utramque Eccleſiam ab antiquiſſimis temporibus inducta fuerit; quin etiàm prioribus ſæculis non tantùm

Al-

Altaria, ſed parietes quoquè, & pavimenta cujuſque Templi lavabantur, ut innuunt præcitati Authores, & hic idem Ritus præſcribitur in perantiquo *Ordine Romano edito ab Hittorpio* ſub titulo: *Ordo de Officiis Divinis à Cęnâ Domini uſquè in Octav. Pentecoſt.* ubì hęc habentur: *Eodem die* (ſcilicèt fer. v. in Cœnâ Domini,) *Altaria Templi, & parietes, ſivè pavimenta Eccleſiæ laventur, & vaſa Domino ſacrata purificentur*. Qui tamèn mos hodiè quòad Eccleſiæ pavimenta, & parietes in deſuetudinem abiit: quò verò ad vaſa ſacra Leodii tantùm adhùc retineri comperimus, ut tradidimus Cap. III.

XV. Quo primùm tempore idem Ritus in utrâque Eccleſiâ cœperit obſervari, quivè primus illius author extiterit, incompertum hactenùs nobis eſt. Satìs tamèn conſtat apud Græcos viguiſſe antè annum 451., dum S. Saba, qui hoc tempore claruit teſte *Leon. Allat. de lib. Eccleſ. Græcor. diſſertat.* 1. *pag. mibi* 9., de eo agit in Typico, ſeù Ordine recitandi officium Eccleſiaſticum per totum annum, ut ſuprà fusè oſtendimus Cap. IV.

XVI. Quod attinet ad Latinam Eccleſiam, ſi certum eſſet Ordinem Romanum editum ab Hittorpio, in quo tantùm hìc Ritus præſcribitur, verè colle-

ctum fuiſſe à S. Gelaſio Papâ, ut *Baronius ad annum* 692., & alii tradidere, ſatìs itidèm compertum haberetur eumdem Ritum in Romanam Eccleſiam inductum fuiſſe antè annum 496., quandoquidèm S. Gelaſius hoc eodem anno vivere deſiit, ut Chroniſtæ Eccleſiaſtici unanimi conſenſu teſtantur. Verùm quià plures ex recentioribus alium à S. Gelaſio Ordinis Hittorpiani authorem agnoſcunt, eique tantam temporis antiquitatem conſtantèr negant, nihil planè certi in hac re aſſerere auſim. Illud tamèn, ut minimè dubium, affirmare poſſe crediderim, hunc ſcilicèt Ritum in Latinam Eccleſiam inductum

fuiſſe

fuiſſe antè tempora S. Iſidori Hiſpalenſ. Epiſcopi, qui obiit anno 636.; hic enìm author diſertè meminit hujus moris, non ut recèns inducti, ſed ut ſuo ęvo communis, quemadmodùm proximè docuimus.

Meminere præterea ejuſdem Ritus, tamquàm pervetuſti, totique olìm Chriſtiano Orbi familiaris, alii graves, & antiqui Scriptores, ſcilicet *Alcuin.* ſeù quivis alius extitit author *lib. de Divin. Offic. cap. de Cœnâ Domini*. Amalar. *lib. de Eccleſiaſt. offic. cap. de ſextâ variet. Cœnæ Domini*. Raban. Maur. *de inſtitut. Clericor. lib. 2. c.36. de Cœnâ Domini*. Rupert. Abb. *de Divin. Offic. lib. 5. cap. 31.*

Guil-

Guillielm. Durand. *Epiſc. Mimaten. in Rational. Divin. Offic. lib. 6. cap. 76.* Jo: Beleth. *in Rational. Divin. Offic. cap.* 104. Collector. antiquitat. liturgicar. *tom. 2. tit. de fer. V. hebdomad. major.* Miſſale antiquum juxtà morem Gallicorum, ac Eccleſię Meſſanenſis *editum Venetiis anno* 1527. ubì hæc habentur: *fer. V. in Cænâ Domini. Poſt mandatum &c. duo Sacerdotes abluant Altaria aquâ, & vino, & interìm incipiet Cantor Reſp.* Circumdederunt, *& Reſp.* In Monte Oliveti, *quæ ſufficiant, donèc Altaria ſint lota*; undè conjicere licet hunc morem uſquè ad ea tempora per Siciliam, & forsàn alibì in ſecu-

lari-

laribus etiàm Eccleſiis viguiſſe.

XVII. Non tamèn antiquitùs ubiquè lavabantur Altaria fer.v. in Cœnâ Domini, ut ſtatutum fuerat in Ordine Romano, ſed alicubì agebatur hìc Ritus ſequenti fer. vj. in paraſceve, quâ die ponitur ab *Hugone de S. Victore in ſpeculo de myſter. Eccl. ſub tit. de ſpecial. Miſſar. obſervat. lib. 3. cap. 20. de offic. fer. VI. in paraſceve*, ubì hæc ait: *Hac die vino, & aquâ lavatur Altare, quià de latere ſuo Chriſtus hac die aquam emiſit, & ſanguinem*. Quem morem innuit etiàm *Magiſter Regulæ apud Menardum in notis ad lib. Sacramentor. S. Gregor. pag.* 88. eumque, utì magìs religio-

ligioſum, & congruum commendat *Rupert. Abb.* loc.cit. his verbis: *Sciendum autèm, quod rectiùs faciunt hi, quos & nos imitamur, & ordini Euangelico magìs eorum propinquat conſuetudo, qui hodiè quidèm, ideſt fer.V., Altaria nudant, ſed ipsâ die paraſceve lavant; nam hac fer. V. cœpit quidèm Dominus ad veſperam agonizare, ſed fer.VI. ſanguinem, & aquam de latere ſuo lanceatus effudit. Idcircò & cum cantu ad paſſionem pertinente, vel cum Pſalmodiâ Pœnitentiali lavare conſuevimus.* Idemquè tradit *Durand.* loc. cit. dicens: *Scias quod quidam hac fer. V., horâ jam adveſperaſcente, denudant*

H *Al-*

Altaria, & lavant: Alii verò ſolùm denudant, ſed in Paraſceve lavant, quod magìs congruit rationi.

XVIII. Veteres quoquè Monachi Altaria lavandi conſuetudinem antiquitùs uſurparunt, eaque, vel in die Cœnæ Domini, vel ſequenti feriâ ſextâ in Paraſceve,prò diverſo Monaſteriorum uſu,lavare ſolebant. Noſtrâ tamèn ætate cum plurimis aliis antiquis inſtitutis hic etiàm Ritus in eorum Monaſteriis penitùs obſolevit.

XIX. In Cœnâ Domini Altaria olìm abluere conſueverant *Anglicani Monachi* ſub Dunſtano, cujus hæc Concordiæ verba: *facto namquè Capitulo diſcal-*

calcient ſe fratres, & intrantes Eccleſiam more obedientiæ lavent pavimenta Eccleſiæ: Sacerdotibus interìm cum miniſtris Altaris, benedictâ aquâ, ſacra Altaria lavantibus: eâ enìm die non ſit celebratio Miſſæ in aliquo Altari, donèc lavetur; quibus peractis lotis pedibus recalcient ſe.

XX. Alii eadèm die, ſed majoris Miſſæ tempore, factâ Corporis Dominici elevatione, Altaria lavabant. *Poſt elevationem Corporis Chriſti*, inquit Ordinarium S. Petri ſupra Divam, *abluant Sacerdotes bini, & bini Altaria per circuitum, dicentes* ℟. Circumdederunt me viri. ℣. Dederunt in eſcam

meam fel,& in ſiti meâ &c. *Col-lectam* Reſpice quæſumus Domine ſupèr hanc familiam tuam. *Deindè faciant memoriam de Sanctis, in quorum honore conſecrantur Altaria cum Antiphonis ſine ℣. & Oratione: quibus peractis revertantur in Chorum.*

XXI. *Compendienſes*, qui Veſperas in ipsâ Miſsâ fer. v. in Cœnâ Domini recitabant, eâ finitâ ſtatìm expoliabant, ac abluebant Altaria.In eorum Ordin. hæc habentur: *Dicat Diaconus* Benedicamus Domino *in fine Miſſæ, ut in quarto* ℟. *duplici; poſt hæc denudentur omnia Altaria à Capitiariis, & laventur aquâ, & vino, & ſic re-*

remaneant denudata uſquè in vigiliâ Paſchæ. Dum lavantur Altaria, dicatur Antiphona, & Oratio de Sancto, cujus eſt Altare, quod lavatur.

XXII. Alibì, & præcipuè per *Germaniam*, agebatur hic Ritus eâdem die tempore refectionis, vel, ſi Monachi eſſent nimiùm impediti, differebatur in craſtinum; undè in *Conſuetudinibus Germaniæ* hæc leguntur: *Dum autèm cœnaverint, deputentur, qui Altaria denudent, & lavent, tàm de aquâ, quàm de vino: ſervientes etiàm, qui uſquè Completorium, ſi expedit, pavimentum Eccleſiæ abluant; adeò autèm ſolet eſſe hic dies occupatus, ut de lava-*

tione Eccleſiæ, omniumque ſuorum ornamentorum in auro, & argento uſquè in craſtinum differatur.

XXIII. Feriâ autèm ſextâ in paraſceve alicubì lavabantur Altaria. *In Divionenſibus Sancti Benigni conſuetudinibus* hęc habentur: *Accedentibus verò ad menſam fratribus* (fer. vj.) *Magiſter Sacriſta aliquot in Eccleſiâ de honeſtioribus retinet Sacerdotibus, qui cuncta Altaria aquâ, & vino diligentiùs abluant, qui tamèn non calceatis, ſed nudis hoc pedibus explent; quidquid autèm liquoris in majori Altari fuſum fuerit, ſpongiis colligitur, indèque expreſſum in ſacrariis reconditur.*

Idem

Idem planè habetur in *Statutis Lanfranci apud Udalricum lib.* 1. *cap.* 13. *& in m.ſ. Cod. Cluniacen. Monaſterii.*

XXIV. In *Rituali* verò *Corbejenſi* hæc leguntur: *Interìm quandò Conventus erit in refectorio in prandio*, (fer. vj.) *Sacriſta cum tribus aliis Presbyteris indutis in albis cum ſtolis palmarum ibunt ad majus Altare, & omnia Altaria, in quibus conſuetum eſt quotidiè celebrare Miſſas in Eccleſias noſtras, lavabunt ea, ad quodlibèt Altare cantando* ℟. Circumdederunt me *uſquè ad Verſum.*

XXV. Eâdem die hìc Ritus decernitur in libro *Uſuum Beccenſium, & Conſuetudini-*

bus Lyræ his verbis: *dum fratres reficiunt, Secretarius abluat omnia Altaria priùs aquâ, & poſt vino cum hyſſopo, vel buxo: capſæ, & coronæ diſcooperiantur, & Monaſterium paretur.*

XXVI. In *Laudunenſibus* itidèm *S. Vincentii conſuetudinibus* hæc Cœremonia eadêm fer. vj. ità præſcribitur. *Poſteà itur comeſtum panem, & bibendum aquam ſolùm. Iterùm Secretarii camiſiis induti lavant Altaria de vino, & aquâ, & ad quodlibèt Altare cantatur hoc* ℟. Circumdederunt &c.

XXVII. Hæc omnia ad veterem Monachalium Ordinum morem pertinentia habentur

apùd

apùd V. C. *Edmundum Martene* Monachum Congregationis S. Mauri in laudatiſſimo opere, quod nupèr edidit, *de Antiquis Monachorum Ritibus lib.* 3. *cap.* 13. §. 64. & *cap.* 14. §. 45. vndè ea excerpſimus.

CAP.

Digitized by Google

CAP. VI.

Explicantur myſticæ ſignificationes ejuſdem Ritus, rerumque in eo adhibitarum, tùm in Baſilicâ Vaticanâ, tùm in aliis Latinorum Eccleſiis.

I. ALTARIUM ablutio in Cœnâ Domini eo modo, quo in Baſilicâ Vaticanâ, aliiſque latinorum Eccleſiis peragi ſolere tradidimus, duas habet rationes,

unam

Digitized by Google

unam ſcilicèt naturalem, alteram myſticam, nec eam longè petitam, ut notat *Collector. antiquitatum liturgicar. tom.2. de fer. V. hebdom. major. pag. mihi* 898. ubì hæc ſubdit: *Naturalem proptèr munditiem naturalem, quam hoc die lavando parietes, ſeù pavimenta Eccleſiæ, & Altaria futuræ ſolemnitati Paſchali præparamus. Myſtica conſiſtit in Altarium ſignificatione &c.* Prçcipuum tamèn myſterium, quod in eâ piis fidelium mentibus recolendum proponitur, eſt memoria Dominicæ Paſſionis, quemadmodùm advertit *Bellotte in obſervation. ad Ritus Eccleſ. Laudunen. pag.* 809. *n.* 1. Id etiàm

per-

perſpicuè deſignant ſacræ preces, ac potiſſimùm Pſalmus xxj. recitari ſolitus in Baſilicâ Vaticanâ, dum Altare lavatur, ut initio Opuſculi expoſuimus. Rex enìm David divino afflatu vaticinans toto illo Pſalmo Chriſtùm diris tormentis excruciandum diſertè præcinuit, & velùt oculis ſubjecit, præſertìm in Verſiculis. *Circumdederunt me vituli multi, & canes multi. Sicùt aqua effuſa ſunt, & diſperſa ſunt omnia oſſa mea. Foderunt manus meas, & pedes meos, & dinumeraverunt omnia oſſa mea*: quæ Cardinalis Bellarminus, Valentia, Janſenius, Tirinus, aliique Pſalmorum Interpretes de Crucis ſuppli-

plicio, de coronâ ſpineâ, de flagrorum ictibus, aliiſque opprobriis Chriſto illátis interpretantur.

II. *Vini, & aquæ* myſterium, quibus prçcipuè Altarium ablutio perficitur, ità exponit *Durand.* in Rational.Div.Offic. lib.6. cap. 76. *In pleriſque locis lavantur Altaria vino, & aquâ, & ramis fricantur, præſertìm cum ramis de Savinâ. Lavantur ergò Altaria aquâ, & vino ad notandum, quod Corpus Chriſti, quod eſt verum Altare, ſanguine, & aquâ in Cruce aſperſum eſt, nam de ipſius latere exivit ſanguis, & aqua, per quæ genus humanum lotum eſt. Vel vino, & aquâ lavantur ad oſten-*

oſtendendum , quod non Joannis, ſed ſuo Baptiſmo fuit baptizatus , ſcilicèt ex aquâ, & Spiritu Sancto ; & lavantur cum Pſalmo Pœnitentiali , vel cum Cantico ad paſſionem pertinente . Vel lavatio Altaris , ideſt Corporis Chriſti , cùm aquâ ſignificat lacrymas Mariæ , vinum unguentum , rami ejus capillos . Rupertus verò de Divin. Offic. lib.5 . cap.31 . ſic interpretatur . *Idcircò Altaria lavari inſtitutum eſt , quià Dominus Noſter , quem Altare ſignificat , de latere lanceâ militis perforato ſanguinem, & aquam effudit . Ideò lavantur vino , & aquâ . Vinum pro ſanguine in Sacramento quoquè Sacrificii ,*

ipſo

ipſo Domino authore, adſcitum eſt. Sanguinem, inquàm, & aquam effudit de latere ſuo ſummus noſtræ opifex ſalutis, quæ prima ſunt ejuſdem elementa ſalutis: ſanguine redimimur, aquâ abluimur. Hanc eandem interpretationem ſequutus eſt. *Jo: Beleth.* in Rational. Divin. Offic. cap. 104., ubì ait: *Vinum, & aqua, quibus Altare lavatur, ſignificant ſanguinem redemptionis noſtræ, & aquam regenerationis, quæ ex latere Chriſti fluxerunt, quandò latus ejus lanceâ fuit apertum. Altare ergò abluitur, quià Corpus Chriſti, verùm Altare, ſanguine, & aquâ in Cruce aſperſum fuiſſe creditur.* Et iſtius ratio-

ratione myſterii in ablutione Altarium per Fratres Ordinum Prædicatorum , & Carmelitarum , & alios Regulares , atquè etiàm per Canonicos Laudunenſes cantatur Reſponſorium *In Monte Oliveti*, alicubì verò: *Dum fabricator Mundi*, deſumptum ex Antiphonario Sancti Gregorii, & Ordine Romano, cujus extrema verba ſunt: *aperto ergò lanceâ militis latere Crucifixi Domini, exivit ſanguis, & aqua in redemptionem ſalutis noſtræ*; quemadmodùm explicant *Claudius Epiſc. Andegaven.*, & *Bellotte* locis aliàs allegatis.

III. Quod autèm *Altare* Chriſtum ſignificet, ut innuunt præ-

præcitati authores, clarè explicat *Honor. in Gemma lib.* 1. *cap.* 134. ubì: *Altare*, inquit, *ſupèr quod ſacrificatur, eſt Chriſtus, ſupèr quem ſacrificium Eccleſiæ acceptatur*. Idcircò Sacerdos incipiens Canonem Miſſæ manibus junctis ſupèr Altare dicit: *Te igitùr clementiſſime Pater per Jeſum Chriſtum filium tuum Dominum noſtrum ſupplices rogamus, ac petimus, utì accepta habeas, & benedicas hæc dona, hæc munera, hæc ſancta Sacrificia &c.* & hęc proferens oſculatur Altare, Chriſtum videlicèt hoc ſymbolo adorans; & in toto ordine Miſſæ, quotiès Sacerdos ad populum convertitur,

ut eum ſalutet, vel ei benè precetur, aut benedictionem impertiat, priùs oſculatur Altare, quasì à Chriſto pacis authore pacem accipiens, quam cum populo fideli communicet.

IV. *Vini aquâ commixti diffuſio*, quæ fit per menſam Altaris, ſignificat communicationem virtutis Dominicæ Paſſionis, & ſanctificationem Eccleſię, quæ unctione Sanguinis Chriſti dedicata fuit. Id porrò præfiguravit Moyſes in lege veteri per aſperſionem ſanguinis victimarum, in quâ ſanguini permiſcuit aquam, quò liquidior, & ſparſilis eſſet, ut patet ex *Apoſtol. ad Hebr.cap.9.n.*19.ubì hęc habentur: *Lecto enìm omni mandato*

legis

legis à Moyſe univerſo populo, accipiens ſanguinem vitulorum, & hircorum cum aquâ, & lanâ coccineâ, & hyſſopo, ipſum quoquè librum, & omnem populum aſperſit; qui quidèm Ritus typus, & figura fuit myſterii ſanguinis, & aquæ ex latere Chriſti ſcaturientis, & effundentis ſe in univerſam Eccleſiam, ut poſt Rupertum interpretatur *Bellotte in obſervat. ad Ritus Eccleſ. Laudunen. pag.* 809. *n.* 6.

V. *Aſpergilla* verò cum ramentis in modum coronæ, seù diadematis in vertice conglobatis, quibus utimur ab abluendum, & perfricandum Altare, exprimunt coronam è ſpinis conſertam, infixamque capiti

Dominico . Speciem quoquè flagrorum exhibent, & ſignificare poſſunt immania flagella, quibus vindex,& aſſertor noſter pro nobis ſæviſſimè diſcerptus eſt. Utramque ſignificationem proponit *Durand. in Rational. Divin. Offic. lib. 6. cap. 76.* his verbis: *Rami verò aſperi, quibus Altare fricatur, ſignificant ſpineam coronam, quâ Chriſtus coronatus eſt: vel flagella amara, & dolores, & ictus, quos in morte ſuſtinuit*. Idipſum docet *Joannes Beleth* in Ration. Divin. Offic. cap. 104. *Rami autèm aſperi, quibus Altare fricatur, ſignificant ſpineam coronam, quâ coronatus eſt Chriſtus, aut flagella amara, &*

ictuum

ictuum vibices, & graves dolores, quos in morte ſuſtinuit. Sunt ideò rami hiſpidi, ſicùt rami taxi, quibus pavimentum mundatur. Rupertus autèm loco citato ità elegantiùs interpretatur: *hiſpidi quoquè ramuſculi, cum quibus Altaria lavantur, flagella ſignificant, quæ pectus illud ſacratum, Deique capax atrocitèr ſecuerunt. Nòn enìm Divinitas inhabitans paſſibilitatem carnis excluſerat, ſed veros dolores, veraſque virgarum vibices in illo noſtra caro pertulit.*

VI. Alicubì, & præcipuè *in Trevirenſi, & Andegavenſi Eccleſiis*, ut alibì expoſuimus, ad ſpargendam commixtionem

vini, & aquæ per menſam Altaris, aſpergilli vice adhibetur *hyſſopus*, cujus uſus ad idem Dominicæ paſſionis myſterium repræſentandum collimat. Sicùt enìm in lege veteri, quotiès de ſanguine victimæ legalis, Chriſti paſſionem præfigurantis, aſperſio facienda erat, adhibebatur in eum uſum faſciculus hyſſopi, ut patet exemplis Exodi in ſanguine Agni Paſchalis, & in ritu fœderis initi inter Deum, & populum Iſraeliticum, ac ſimilitèr in purificationibus legalibus ex Levitici, & Numerorum libris; ità in lege gratiæ, quotiès aſperſio, ſeù ablutio myſtica facienda eſt in ſymbolum ſanguinis Chriſti effuſi ad

emun-

emundationem, & ſanctificationem animarum, ut in præſenti myſterio ablutionis Altarium, in conſecratione Eccleſiæ, & Altarium tum ſtabilium, tum portatilium, in benedictione, & reconciliatione Eccleſiæ, & aliis ejuſmodi, Eccleſia uti ſolet hyſſopo, quasì inſtrumento ad id in figuris divinitùs inſtituto. Eâ de causâ David remiſſionem peccati ſui petens virtute ſanguinis Chriſti in Cruce fundendi propheticè dicebat Pſal. 50. *Aſperges me hyſſopo, & mundabor*; ideſt, ut interpretatur *Bruno* Carthuſianorum divinus inſtitutor: *facies me ſimilem illi, qui aſpergitur hyſſopo, & ſic facies me ſimilem, quod mun-*

dabor : ac ſi diceret : mundabis me per aſperſionem ſanguinis Chriſti, qui erit ſparſus hyſſopo, ideſt humilitate. Quem Pſalmi verſiculum uſurpat Eccleſia in aſperſione aquæ benedictæ, quià illa eamdem ſignificationem habet aſperſionis ſanguinis Chriſti. Cur autèm hyſſopus ſignificet humilitatem Chriſti, explicat Author Commentar. in Epiſt. ad Hebr. editi ſub nomine *S. Ambroſii* cap. 9. his verbis : *Hyſſopus enìm herba humilis eſt, & in petris naſcens. Humilitas Chriſti ſignificatur per hanc herbam, & fortitudo, quâ interiora noſtra purgantur. Nam hoc genere herbæ pulmonum vitia purgari ſo-*

ſolent. Quibus ſuffragatur *Sanctus Auguſtinus* enarration. in eumdem Pſalm. 50. ubi: *Hyſſopum*, inquit, *herbam novimus humilem, ſed medicinalem; ſaxo hærere radicibus dicitur: indè in myſterio mundandi cordis ſimilitudo aſſumpta eſt. Apprehende & tu radicem dilectionis, petram tuam: eſto humilis in humili Deo tuo, ut ſis excelſus in glorificato Domino Deo tuo. Aſpergeris hyſſopo: humilitas Chriſti te mundabit*. Alitèr tamèn ſignificationem hyſſopi explicat *Ivo Carnotenſis in ſermone de Sacrament. Neophytorum*, ubì loquens de aquâ luſtrationis præſcriptâ in *lib. Numer*. 19. hyſſopum interpretatur fidem,

per

per quam videlicèt applicatur nobis meritum Sanguinis Chriſti: *Quod autèm*, inquit, *hyſſopus huic aſperſioni admiſcetur, hoc ſignificatur, quià in fide mortis Chriſti peccata mundantur; undè Apoſt.* fide mundans corda eorum; *quià cum ſit herba humilis, firmitèr hæret in petrâ.*

VII. *Spongiæ*, quæ in Baſilicâ Vaticanâ, multiſque aliis latini Ritus Eccleſiis, atquè etiàm apùd Græcos in Altaris abſterſione adhiberi ſolent, ſignificare videntur, ſivè ſpongiam illam, quam calamo, vel arundini circumpoſitam, aceto plenam, Chriſtì ſitientis ori admovit unus ex adſtantibus, quem

quem *Suareſius* Calphurnium appellat, ut narrant SS. Matthæus, Marcus, & Joannes in Euangeliis,& paſsim exprimunt picturæ tùm veteres, tùm recentes Sanctiſſimi Crucifixi; ſivè ſpongias, quibus diffluens ſacratiſſimus Chriſti ſanguis colligebatur à piis mulieribus eum affectantibus, ut placet eidem *Suareſio*.

VIII. Certè ſpongiarum uſus apùd antiquos, ut etiamnùm, duplex fuit, prophanus ſcilicèt, & ſacer, quemadmodùm notat *Goar in Miſſam S.Jo: Chryſoſt. pag.* 151. *num.* 177. In prophanis ſpongiæ plurimis uſibus inſerviebant,qui referuntur à *Plinio in natural. hiſtoriâ lib.* 30. *cap.*

cap. 11. frequentiùs tamèn adhibebantur ad detergendas menſas, undè cecinit *Martialis* lib. 14. Epigram. 144.

Hæc tibi ſorte datur tergendis
ſpongia menſis
Utilis, expreſſo cum levis imbre tumet.

Delebantur inſupèr ſcripta ſpongiâ, ut habetur ex *Suetonio in Caligulâ cap.* 20. Hinc Auguſtus apùd eumdem Suetonium cap.85. cum Tragædiam, Ajacem inſcriptam, quam magno impetu ſcribendam ſuſceperat, non ſuccedente ſtylo, ſpongiâ deletili aboleviſſet, quęrentibus deindè amicis quidnam Ajax ageret, lepidè, ſcitèque reſpondit Ajacem ſuum in ſpongiam

giam incubuiſſe. Spongias prætereà antiqui in deliciis habuere ſtrigilum vice, linteorumque ipſas uſurpando ad diſtringenda, & emundanda corpora, ditioreſque purpurâ eas tingebant, atquè etiàm candidas aliquandò faciebant adhibitâ curâ, quam deſcribit Plinius loco citato.

IX. In ſacris autèm multiplex itidèm fuit ſpongiarum uſus. Sanctas ſorores Praxedem, & Pudentianam martyrum ſanguinem per gramina, perquè ſaxa diſperſum bibulis ſpongiis colligere conſueviſſe produnt *Hugonius lib. de Stationibus pag.297.* aliique recentiores, & pium hunc utriuſque mo-

morem exprimunt imagines, & ſimulachra, quę in vetuſtiſſimis earum Eccleſiis in Urbe ſpectantur. Apud Græcos olìm Diaconus in celebratione Miſſæ ſolemnis ſpongiâ Altare undiquè abſtergebat, antequàm Calicem, & reliqua ſacra vaſa uſui Sacrificii neceſſaria ſanctęMenſæ apponeret, eâque re monebantur Chriſtiani Sacerdotes, ut antè myſteriorum confectionem omnibus peccatorum ſordibus animum eluerent. *Ità Joſeph Vicecomes in obſervat. Eccleſiaſt. de Miſſæ apparatu lib. 7. cap.* 18. Similis ſpongiæ uſus præſcribitur etiàm in Euchologio in Divinâ Miſsâ S. Jo: Chriſoſtomi nu. 177. his verbis:
Tunc

Tunc accipiens Diaconus ſanctum diſcum supèr ſanctum Calicem ſanctâ ſpongiâ diligentèr abſtergit, & cum attentione, & devotione velo ſanctum Calicem tegit &c. quem Ritum explicans *Goar* hæc ait : *Sacer Spongiarum uſus non Menſam tantùm ſacram illis detergit, proùt in officio de ablutione ſanctæ Menſæ, magnâ feriâ quintâ explicàbitur, ſed & Calicem, Dominici ſanguinis puriſſimum vas, ipſumque ſanctum diſcum, particulaſque in eo contentas colligit in unum, coercet ne perturbatìm effluant, & ſuo tandèm impulſu, ductuque ſuavitèr in Calicem demittit. Purificatorii itaquè latinis dicti mu-*

nus

nus agit in Altari græco ſpongia, ex eo in ſacris uſurpata, quià ſacrificii cruenti à Chriſto oblati pars fuit, & inſtrumentum, ejuſque in incruento ſacrificio memoriam refricat. Meminit *Anaſtaſius Bibliothecarius in Vitâ Gregorii II. pag.* 97. trium ſpongiarum,quę olìm ad uſum Menſæ Pontificiæ apponi conſueverant, ac refert Eudonem Francorum Ducem, & Aquitaniæ Principem, cum memorandam ſanè victoriam retuliſſet, occiſis Agarenorum trecentis ſeptuaginta quinque millibus, qui, direptis Hiſpaniis, Rhodanum tranſmittere, & in Gallias irrumpere nitebantur, dediſſe ad eumdem Gregorium

Ro-

Romanum Pontificem Epiſtolam, in quâ narrabat è tribus ſpongiis, quæ ad uſum Pontificiæ Menſæ apponuntur, ad ſe directis in benedictionem, imminutas particulas ſe militibus antè pugnam tribuiſſe ſumendas, & neminem eorum, qui participaverant, in eo prœlio cœſum, lœſumve fuiſſe. Qualis autèm fuerit antiquitùs ſpongiarum uſus in Menſâ Pontificis, hactenùs incompertum nobis eſt; illud profectò certum, exploratumque habemus his temporibus tales ſpongias nequè ſpirituali, nequè corporali Pontificis Menſæ apponi ſolere. Probabile tamèn arbitramur ejuſmodi ſpongias adhiberi con-

ſueviſſe, dum Pontifex ſolemne ſacrum faceret, ad abſtergenda ſacræ Menſæ vaſa, quæ modò purificatoriis, linteiſque terguntur. Talis enìm erat, & adhùc eſt ſpongiarum uſus apùd Græcos tùm in Miſsâ ſolemni, tùm etiàm in ablutione ſanctæ Menſæ in Cœnâ Domini, ut ſuprà oſtendimus. Quìn etiàm Patriarcha ſpongias in ablutione ſacræ Menſæ adhibitas populo in benedictionem diſtribuere ſolet, quippèquæ ex Altaris contactu ſanctitatem, virtutemque divinam hauſiſſe credantur, ut explicat *Goar in ſuis notis ad dictum Ritum num.* 13. Quod & Gregorium II. factitaſſe memorat Anaſtaſius, dum Ponti-

ficiæ Menſæ ſpongias miſiſſe tradit Francorum Duci in benedictionem.

XI. *Mappulæ, ſeù lintea,* quibus poſt ſpongias ablutum Altare detergitur in Baſilicâ Vaticanâ, & alibì, myſterio non carent, quod ità explicat *Honor.* in Gemmâ lib. 1. c. 161. *Poſt hæc Altare cum linteo extergitur, per quod Dominica paſſio intelligitur. Linum quippè de terrâ oritur, & cum labore ad candorem convertitur: & Chriſtus de Virgine naſcitur, & cum magno labore paſſionis ad candorem reſurrectionis redit. Hoc linteo Altare extergitur, dum tribulatio Eccleſiæ exemplo paſſionis Chriſti delinitur.*

tur. Alitèr autèm interpretatur *Goar loc. citat. num.* 9. ubì ex ſententiâ Germani in Myſtagogiâ opinatur mappulas haſce, cæteroquìn tergendis manibus aptas, typum referre Pilati, dum Chriſtum traditurus Judæis, acceptâ aquâ, lavit, abſterſitque manus coràm populo dicens: *Innocens ego ſum à ſanguine Juſti hujus. Vos videritis*; quemadmodùm S. Matthæus, & cæteri Euangeliſtæ prodidere.

XII. *Luminibus* demùm *extinctis*, & *lugubri concentu* in hac Cœremoniâ utimur, quià verum lumen his diebus nobis extinctum eſt, & verſus eſt in luctum chorus noſter, quià cecidit corona capitis noſtri, ut in-

inquit *Jerem. in Thren. cap.* 5. *verſ.* 15. 16. Apoſtolorum prętereà, atquè diſcipulorum triſtitia exprimitur, quam ob æterni diei, verique ſolis juſtitiæ occaſum conceperunt. Ità *Honor. in Gemmâ lib.* 3. *cap.* 88. Tenebræ inſupèr repræſentantur, quæ factæ ſunt per univerſam terram, dum Chriſtus in Cruce pependit, quibus ſignificabatur indignitas illius necis, quam Sol, Luna, omniaque elementa, quaſi Domino ſuo compaterentur, atrata, ſeù pullata lugebant, ut ex *S. Dionyſ.* tradit *Tirin. in comment. in S. Matth. cap.* 16. *verſ.* 33.

XIII. In *Moguntinâ Eccleſiâ*, ut expoſuimus Cap. III., per-

actâ Altarium ablutione, iis cujuſque menſæ locis, ubì ſignum Crucis exciſum eſt, inſiguntur parvi cerei, & accenduntur. Hujus ſanè moris non meminit *Rabanus Maurus*, qui fuit Moguntinæ Civitatis Epiſcopus, *de inſtitut. Clericor. lib.* 2. *cap.* 36. quo loco cœremonias referens peragi ſolitas feriâ quintâ in Cœnâ Domini hæc tantùm ait: *Eodem die Altaria templi, parietes, & pavimenta lavantur, vaſaque purificantur, quæ ſunt Domino conſecrata*. Idcircò probabile arbitramur hunc Ritum ſuo ævo in eâ Eccleſiâ minimè viguiſſe, ſed ſecutis temporibus fuiſſe uſurpatum, nec alibì,

quod

quod ſciamus, præter unam Salisburgenſem Eccleſiam antiquitùs inolevit, nec hodiè viget. Quod attinet ad myſticam illius ſignificationem, cum cera humanitatem Chriſti deſignet, ut ex *Gregor.* in Homil. docet *Amalar. de Eccleſiaſtic. offic. lib.* 1. *cap.* 17. lumen verò Chriſti divinitatem ſignificet, ut ex dicto *Joann.* epiſt. 1. *Deus lux eſt, & tenebræ in eo non ſunt ullæ*: notat *Caſal. de vet. ſacr. Chriſt. Rit. cap.* 42. *lit. A.B.* hujuſmodi cerei accenſi, & infixi ſignis Crucis ſculptis in ſacris Altarium lapidibus denotare poſſe videntur, quod, etsì in Dominicâ paſſione humanitas Chriſti dirum Crucis tormen-

tum ſubierit, divina tamèn natura, in lumine figurata, incolumis, ac illœſa permanſit. Significare etiàm poſſunt Chriſti charitatem, quâ incenſus tradidit ſemetipſum pro nobis in oblationem, & hoſtiam; vel quod Chriſtus, ut ignis, rubiginem peccatorum conſumit; vel quod Eccleſia, in Euangelicis Virginibus adumbrata, expectat cum lumine ſponſum venturum, hoc eſt proximè reſurrecturum de ſepulchro; vel demùm hi cerei accenduntur ad circumſtantium fidem, & devotionem magìs excitandam: ut myſticas rationes luminum, quæ in Miſſæ ſacrificio, aliiſque ſacris uſibus adhibentur, commu-

munitèr exponunt Eccleſiaſtici Scriptores, & præ cæteris *Gavant. in Rubr. Miſ-ſal. cap. 20. lit. T.*

CAP.

Digitized by Google

CAP. VII.

De myſticis ſignificationibus ejuſdem Ritus, rerumque in eo adbibitarum apùd Græcos.

I. DISCREPAT in multis à Latinorum conſuetudine Ritus, qui à Græcis in Altaris ablutione obſervatur. Hi etenìm ſanctam Menſam bis lavant, non vino, ſed primùm aquâ fervidâ, deindè rursùs aquâ roſaceâ.

Digitized by Google

ceâ. Spongias ad eam abſtergendam adhibitas populo circumſtanti diſtribuunt. Patriarcha bis thure Menſam ſuffumigat, ſcilicèt ſub initium, & in fine Cœremoniæ, ac ubì lota, abſterſaque fuerit, eam conſuetis ſacris veſtibus induit, cereiſque pinnatis ſignat, & benedicit. Statæ itidèm preces, quæ cum à Patriarchâ, tùm à Clero recitantur, diverſæ ſunt ab illis, quibus latina Eccleſia utitur, quemadmodùm fuſiùs ex Euchologio tradidimus Cap.IV.

II. Idem tamèn Ritus ad paſſionis Chriſti myſterium recolendum pertinere dignoſcitur. In utrâque etenìm oratione, quæ dicitur tùm antè Alta-

ris

ris denudationem, tùm poſtquàm illud veſtitum, ornatumque fuit, ſignificat Patriarcha per Altare figuram exprimi Dominici Sepulchri; atquè in priore petit à Deo, ut circumſtantes myſtici convivii, & cœleſtis regni participes efficiat: in poſteriore autèm, ut per ablutionem Altaris eos lavet ab omni pollutione mentis, & corporis, ſenſus purificet ab omni ſorde peccati, atquè irreprehenſibiles, & immaculatos conſtituat virtute, ac merito tremendi, divinique ſacrificii vivificantis ſanguinis, & corporis ſui, quod in ſepulchro conditum, ut immortalitatis nobis gratiam compararet, ſubindè cum gloriâ tertiâ die reſur-

gens

gens fontem nobis perennem aperuit vitæ, & incorruptionis, conculcatâ morte, & ſublato ejus ſtimulo. Ità *Claudius Epiſcopus Andegavenſ. in lib. de Proceſſ. cap.* 12. *in fin.*

III. Ad eamdem Dominicę Sepulturę figuram reprę ſentandam ſpectant *aqua roſacea*, *&* *incenſum*, quibus Græci ſacram Cœremoniam perficiunt. Cum etenìm utraque gratiſſimi ſint odoris, ſignificare videntur vel aromata, quibus Redemptoris noſtri corpus, priuſquàm ſepulchro inferretur, à Nicodemo delibutum fuit more Judęorum, ut habetur *S. Joann. cap.* 18., vel aromata, quæ emit Maria Magdalena, ut ungeret Jeſum jam

jam poſitum in monumento, ut placet *Durand. in Rational. lib.* 4. *cap.*30.

IV. Hic autèm Ritus fluxiſſe videri poteſt à vetuſtiſſimis Ethnicis tùm gręcis,tùm latinis,qui in parentalibus Sacrificiis, quas Inferias vocabant, aquam, vinum, lac, unguenta, & alios odoratos liquores ſepulchris affundere ſolebant, putantes hęc Manibus eſſe gratiſſima, ut fusè, doctèque tradit *Kirchman. de Funer. Roman. lib.*4. *cap.*2.

De iis Leonides.

Μὴ μύρα, μὴ στεφάνους λιθίναις
στήλαισι χαρίζου.
Μηδὲ τὸ πῦρ φλέξῃς· εἰς κενὸν
ἡ δαπάνη.

Ζῶντι

Ζῶντί μοι εἰ ἐθέλῃς, χάρισαι, τέ-
φρην δὲ μεθύσκων.
Πηλὸν ποιήσεις, κ᾽ οὐχ᾽ ὁ θανὼν πίε-
ται.

Hoc eſt:

Parce meum unguento cippum, brevibuſque corollis
Ornare, & nimio me decorare rogo.
Hic fruſtrà inſumis; vivo largire: lutoſum
Vina dabunt cinerem, nec honor inde ſito.

Auſon. in Epitaph. carm. 36.

Sparge mero cineres, & odoro perlue nardo
Hoſpes, & adde roſis balſama puniceis.
Perpetuum mihi ver agit illacrumabilis urna,

Et

Et commutavi ſecula : non obii.

V. Moris etiàm erat apùd veteres tùm Græcos, tùm Latinos tumulum floribus, & coronis ornare, ut innuunt mox laudati Poetæ, & habetur apùd Sophoclem in Electrâ.

Ἐπεὶ γὰρ ἦλθον Πατρὸς ἀρχαῖον τάφον,
Ὁρῶ κολώνης ἐξ ἄκρας νεορρύτους
Πηγὰς γάλακτος, καὶ περιστεφῆ κύκλῳ
Πάντων ὅσ᾽ ἐστὶν ἀνθέων θήκην Πατρός.

Hoc eſt Interprete Georgio Ratallero.

Abs te digreſſa, antiquum ut acceſſi ad Patris

Tu-

Tumulum, repletos lacte rivos conſpicor
Fuſo recens, variiſque buſtum floſculis
Hinc indè conſperſum undiquè.

Apud Lucianum in Nigrino.

Ἔνιοι δὲ καὶ στέφειν τὰς στήλας κελεύουσιν, εὐήθεις ἔτι καὶ παρὰ τὴν τελευτὴν διαμένοντες.

Hoc eſt:

Quidam etiàm cippos ſuos floribus coronari jubent, ſtolidi etiàm poſt mortem manentes.

Apud Suetonium in Nerone cap. 57.

Et tamèn non defuerunt, qui per longum tempus vernis, æſtiviſque floribus tumulum ejus ornarent.

Digitized by Google

VI. Porrò inter omnes flores, quibus veteres ſepulchra ſua ſpargere conſueverant, principem locum obtinuiſſe videntur *Roſæ*, ut notat *Kirchman. loc. cit. cap.* 3. undè forsàn odorari licet Græcos ſuum duxiſſe morem abluendi aquâ roſaceâ ſanctam Menſam, quæ typum exprimit Dominici Sepulchri, ut antè explicavimus.

Roſæ in ornatum ſepulchrorum meminit Anacreon Oda *εἰς ῥόδον*

Τόδε καὶ νοσοῦσιν ἀρκεῖ,
Τόδε καὶ νεκροῖς ἀμύνει.

Hoc eſt:

Medicatur hæc & ægris,
Defendit hæc ſepultos.

Et in epiſtolâ græcâ Petales ad

ad Simalionem, ubì objectat illa amatori lachrymis quidèm ſe ab eo rigari, ac perlui, corolliſque, ac roſis, tamquàm carioſum, & exoletum ſepulchrum, conſterni: aliis autèm neceſſariis muneribus prorsùs deſtitui.

VII. Romani verò Roſarum adeò fuere ſtudioſi, ut iis poſt mortem monumenta ſua ſpargi ſupremo judicio haùd raro mandaverint, peculiari legato ad id relicto, cui plerumquè hæc erat adjecta conditio: *Ut quotannìs Roſas ad monumentum ejus deferant*. Teſtantur hoc plures veterum inſcriptiones, & præſertìm hìc ſubjicienda lapidis Mediolanenſis relati

à *Kirchman. de Funer. Roman. loco proximè cit.*

PETRON. JUCUN. VI. VIR.
SENI
PETRONIA MIRA L. F.
PATRONO, QUÆ H. S.
CCCC. LEG. POSSESSORIB.
VICI BERGOMAG. IN HERM.
TUEND. ET ROSA QUOTANNIS
ORNANDUM.

VIII. Quìn etiàm eò inſaniæ proceſſerant, ut aliquandò hortos ſepulchris proximos compararent, quorum redditibus Roſæ ad eadem ſepulchra ornanda emerentur, ut notat *Jo: Petrus Bellorius in explicatione pictarum imaginum ſepulchri gentis Naſoniæ in viâ Flaminiâ tab.*35. ubì affert ſequentem antiquiſſimam Inſcriptionem.

LON-

LONGIUS . PATROCLUS . SECUTUS . PIETATEM . COL. CENT. HORTOS. CUM. ÆDIFICIO. HUIC. SEPUL. JUNCTO . VIVOS . DONAVIT . UT . EX . REDITU . EOR. LARGIUS . ROSÆ . ET . ESCÆ. PATRONO . SUO . ET . QUANDOQUE . SIBI . PARENTETUR.

Quò etiàm alluſit Joannes Paſſeratius in Roſâ, dum cecinit.

Manibus eſt imis Roſa grata,
& grata ſepulchris.

IX. Ab hoc Gentilium more coronis, ac floribus ſpargendi ſepulchra antiquiores quidèm Chriſtiani penitùs abhorruere, quod relatum intèr crimina illis objecta à Cęcilio prodidit *Minucius Felix* in Octavio: *coronas etiàm ſepulchris*

denegatis, pallidi, trepidi, miſericordiâ digni, ſed noſtrorum Deorum; & idipſum colligitur ex *Juſtino Martyr. lib.* 11. *Apolog.* A quâ tamèn priſcâ ſimplicitate poſtmodùm receſſere, variiſque floribus tumulos ſpargere, quìn etiàm aliquandò liquidis odoribus eos perfundere conſueverunt teſte *Kirchman. de Funer. Roman. lib.* 4. *cap.* 3. undè cecinit *Prudentius* in hymno de exequiis defunctorum.

Nos tecta fovebimus oſſa
Violis, & fronde frequenti,
Titulumque, & frigida ſaxa
Liquido ſpargemus odore.

Ejuſdem moris meminere etiàm *S. Hieronym. in Epiſt. ad Pammachium* de obitu uxor.

Cæ-

Cæteri mariti ſupèr tumulos conjugum ſpargunt violas, roſas, lilia, purpureoſque flores, & dolorem pectoris his officiis conſolantur. Et S. Ambroſ. in oration. funebr. de obitu Valentiniani: *Non ego floribus tumulum ejus aſpergam, ſed ſpiritum ejus Chriſti odore perfundam*.

X. *Aquâ fervidâ* utuntur Græci nedùm in ablutione ſanctæ Menſæ, ſed etiàm in ſacroſancto Altaris myſterio, in quo eam calici admiſcere ſolent antè communionem, ſed peractâ jam conſecratione, ut habetur ex *Euchologio in divin. Miſſ. S. Jo: Chryſoſt. num.* 166. *& ſeqq.* & teſtatur *Macrius in*

Hierolexic. verbo Aqua benedi-ċta. Habent etiàm in eorum Eccleſiâ miniſtros ad id ſpecialitèr deputatos, quos à lineis albis, ſeù Camiſiis Camiſatos appellant, ut tradit *Goar in notis ad Euchol. loc. cit.* eorumquè officium ità ex Citrio deſcribit *Macrius* ubì ſuprà: *Camiſati ferendis ad Altare carbonibus, & ſacris lebetibus calefaciendis occupati ſunt, ut illìc more ſolito aqua fervens ſacris calicibus tempeſtivè infundatur.*

XI. Hujus græcanici Ritus in Miſsâ ſignificationem, quæ & Altaris ablutioni congruere poteſt, ità interpretatur *Symeon Theſſalon.* lib. de Templo: *Fer-*

ven-

ventem aquam calici Sacerdos infundit, quasì teſtatus mortuum Dominicum corpus, divinâ ejus animâ ſeparatâ, vivificum adhùc manſiſſe, divinitate quidèm ab eo nuſquàm ſemotâ, nec quibuſvis ſpiritus operationibus: quandoquidèm & fervens aqua vividam calore virtutem complectitur; ac ſi diceret, è Chriſti corpore animâ deſtituto, non tamèn divinitatis exorte, vitalem virtutem aquę colore demonſtratam, emanaſſe, quemadmodùm explicat *Goar in notis ad dictam Miſſam S. Jo: Chryſoſtom. num.* 167.

XII. Alibì verò idem *Symeon Theſſalonic.* aquam calidam in morem inductam apùd

Græ-

Græcos opinatur, ut communicantes acriùs excitentur ad contemplationem ſacratiſſimi Sanguinis, qui calidus è divino Redemptoris noſtri corpore manavit, & labiis calici admotis perindè afficiantur, ac ſi è vivifico illo latere biberent, ut tradit *Macrius loc. cit.* Quam expoſitionem ſecutus fuiſſe videtur *S. German. à Goar allegatus*, dum ait: *Ut quemadmodùm ſanguis, & aqua calida, utraque è Chriſti latere fluxerunt: ità ſanè aqua calidiſſima tempore communionis calici injecta abſolutum myſterii typum explet, communicantibus mammam poculi, ut latus vivificum, contrectantibus*; idcircò *S. Andreas*

dreas Cretenſis cunctos fideles Chriſti nomine ad communionem invitans ſcribit Cantico 3. Canon. fer. iv. major. hebdom. *Bibite ſanguinem effuſum è victimæ divino latere*. Calidus enìm, & expumans, imò & vita exundans eſt ſanguis, qui cœsâ recèns victimâ effluit: & ut victima cum ſanguine vitam, & ſpiritum emittit, ſic & Chriſtus emiſſo, quem, ceù ferventem,epotamus, ſanguine, vitam immortalem,ſpiritumque in nos omnem influit, ut ſubdit *Goar loc. cit.*

XIII. Alia tamèn interpretatio à Cabaſilâ cap. 37. allata *Goari* magìs probatur, quippequæ ſenſum includit reliquis Liturgiæ par-

partibus cohærentem. *Cum hactenùs*, inquit, *in totius Liturgiæ ſerie Chriſtum, ut annis provectum, mox verò, ut Crucifixum, fuerimus contemplati, oportet & quę ſecuta ſunt ſymbolis aliquibus ſignificari, ut ſit undequaquè integra myſterii ſignificatio. Quod verò opus, & quis effectus Chriſti paſſionum, & ſermonum, & operum? Si, proùt ad nos ſpectant, hæc ea quis conſideret, nihil aliud eſt, quam Spiritus Sancti in Eccleſiam adventus. Oportebat ergò eum poſt illa ſignificari: atquè is quidèm ſignificatur aquâ calidâ in myſteria infuſâ. Hæc enìm aqua, cum & aquæ naturam habeat, & ignis ſit* par-

particeps, ſignificat Spiritum Sanctum, qui etiàm aqua dicitur, & tamquàm ignis in Chriſti diſcipulos dilapſus apparuit. Tunc enìm deſcendit, poſtquàm omnia, quæ ad Chriſtum ſpectabant, conſummata fuere; nunc autèm perfectis, & conſecratis donis hæc aqua immittitur. Per myſteria verò, ſivè ſacra dona, ſignificatur Eccleſia, quæ eſt corpus Chriſti, & membra ex parte habet, quæ & tunc Spiritum Sanctum acceperunt.

XIV. *Spongiarum, & mappularum* ſignificationem, quarum uſus Græcæ Eccleſiæ eſt cum Latinâ communis, capite præcedenti explicavimus. Quid

verò

verò ſint *Cerei pinnati, velamen ad carnem dictum*, & alia, quæ à Græcis in hoc Ritu adhibentur, quidvè ſignificent, fusè, doctèque exponit *Goar* in citat. notis in Ordinem lotionis ſanctæ Menſæ, cujus verba hìc repetenda non ducimus, ne ab inſtitutâ brevitate diſcedere cogamur.

CAP.

CAP. VIII.

Declaratur aliud myſterium ablutionis Altarium juxtà Ritum utrique Eccleſiæ communem.

I. ABLUTIONE Altarium, quæ feriâ quintâ in Cęnâ Domini, tùm in Eccleſiâ latinâ, tùm etiàm in græcâ peragitur, ut hactenùs oſtęnſum eſt, ſunt, qui opi-

opinentur eam commemorari lotionem, quâ Salvatoris noſtri ſacratiſſimum Corpus è Cruce depoſitum abluère SS. Joſeph ab Arimatheâ, & Nicodemus. Ità *Suareſius* in alibì citato Opuſculo. Nullum ſanè alium ex authoribus, quos vidimus, myſticæ hujus ſignificationis meminiſſe comperimus. Verumtamèn eam, ut admodùm piam, ità etiàm rationi congruentem arbitramur. Licèt enìm Euangeliſtæ non memorent Corpus Chriſti exanime lotum aquâ fuiſſe, antequàm aromatibus ungeretur, & conderetur monumento: illius tamèn lotionem, ut rem ſuis etiàm temporibus uſitatiſſimam, præceſſiſſe conſtan-

ſtantèr aſſerit *Epiphanius in oration. de ſepultur. Chriſti*, & idipſum affirmat *S. Jo: Chryſoſtom. Homil.* 84. *in Joannem* his verbis: *Cum autèm tempore urgerentur, & dum peterent eum à Pilato, & lavarent, jam veſper adventaret*; undè *Durand.* in tract. de ſepultur. & exequ. inquit: *ex Chryſoſtom. Homil.* 84. *in Joannem conſtat morem eum jam obſervatum antè mille ducentos annos, immò jam ætate Chriſti, dum ibì aſſeverat Chriſti corpus à Joſepho, & Nicodemo lotum; quod licèt Euangelium non exprimat, ex hoc ità ſentit, quoniàm credit eos nihìl omiſiſſe eorum, quæ præſtare potuerunt ad honorifi-*

cam ejus ſepulturam. Noverat eum morem tunc obſervatum, nihilquè obſtitiſſe, cur minùs lavarent; ideò cenſendi ſunt id non omiſiſſe, & ità laviſſe. Hæc Durandus, cui aſſentitur *Caſal. de veter. ſacr. Chriſtian. Rit. cap. 66.*

II. Apùd Judæos profectò cadaverum lotionem fuiſſe uſitatam ſatìs intelligitur *ex Philone lib. de Joſepho*, dum ritus funerum deſcribens in lamentatione Jacobi de mortuo Joſepho abſquè ſepulturâ, hujus quoquè moris meminit, ut notat *Bellotte in obſervat. ad Ritus Eccleſ. Laudunenſ. pag. mihi 73. num. 8.*

III. Hunc eumdem ritum ab-

abluendi cadavera aquâ calidâ nedùm Judæis, ſed etiàm priſcis Græcis,& Romanis familiarem, communemque fuiſſe multi prodidere, & præſertìm *Kirchman. de funer. Romanor. lib.*1.*cap.*7. *Alexand. ab Alexan. in genial. dieb. lib.* 3. *cap.* 7. & ex recentioribus *Franciſcus Pomey in Libitinâ cap.* 3. §. 3. idquè extremum humanitatis officium prꝑſtari conſueverat plerumquè à defuncti propinquis, aut, ſi ditior eſſet familia, à Libitinariis miniſtris, ità tamèn ut corpora fœminarum à fœminis, virorum à viris lavarentur, ut ſubdit *Pomey* ibidèm.

IV. Græcorum conſuetudinis diſertè meminit *Homer. lib.* 18.

Iliad. ubì de Patrocli funere loquens hæc ait:

Α᾽υτὰρ ἐπειδὴ ζέσεν ὕδωρ ἐνὶ ἤνοπι
χαλκῷ.
Καὶ τότε δὴ λοῦσαν τε καὶ ἤλειψαν
λιπ᾽ ἐλαίῳ.

Hoc eſt:

At poſtquàm calefacta eſt aqua
in ſonante lebete,
Et tunc jam lavarunt, & unxerunt pingui oleo.

Et apùd *Euripidem in Phœniſſis* Creon Jocaſtam accerſit, ut filium ſuum mortuum lavet, his verbis

ἐγὼ δ᾽ ἥκω μεταστέλλων
Α᾽δελφὴν Ι᾽οκάστην, ὅπως
Λούσῃ, προθῆταί τ᾽ οὐκέθ᾽ ὄντα παῖδ᾽
ἐμόν.

Hoc eſt:

Ipſe

Ipſe ad ſororem eo Jocaſtam,
Ut abluat cadaver illa filii,
atquè collocet.

Et de Dardanenſium more teſtatur *Ælian.* in var. hiſtor. lib. 4. cap. 1. *Dardanenſes Illyricos ter; tantùm lavari audio per univerſam vitam, & poſt partum, & cum nuptias inirent, & poſt mortem.*

V. Apùd Romanos autèm hujuſmodi cadaverum lotionem antiquitùs fuiſſe uſitatam comprobat in primis vetuſtiſſimi Poetæ *Ennii* verſus de Tarquinii Regis funere.

Tarquinii corpus bona fœmina lavit, & unxit.

Eumdem morem expreſſit etiàm *Virgilius lib. 6. Æneid.*

ubì loquens de Teucris curantibus funus Miſeni in Italicis oris defuncti, hæc cecinit:

Pars calidos latices, & ahena undantia flammis
Expediunt, corpuſque lavant frigentis, & ungunt.

Hinc Nero ſe necaturus (ut narrat *Suetonius* in ejus Vitâ cap. 49.) *imperavit aquam ſimùl, & ligna conferri, curando mox cadaveri.*

VI. Quìn etiàm inter ipſa naſcentis Eccleſiæ primordia uſurpatam fuiſſe à priſcis illis Chriſtianis cadavera lavandi conſuetudinem colligitur ex *cap. 9. Actuum Apoſtolor.* ubì Tabitham Joppenſem vitâ functam illicò lotam fuiſſe manifeſtè

ſtè

ſtè legimus : *factum eſt autèm in diebus illis, ut infirmata moreretur; quam cum laviſſent, poſuerunt eam in Cœnaculo*. Id ipſum deſumitur ex *Tertulliano*, qui indè jocum captavit in Apolog. cap. 42. *Non lavor diluculò Saturnalibus, ne & noctem, & diem perdam. Attamèn lavor honeſtâ horâ, & ſalubri, quæ mihi & colorem, & ſanguinem ſervet. Rigere, & pallere poſt lavacrum mortuus poſſum*; cujus loci hæc eſt ſententia Interprete Deſider. Heraldo: *Nolo ex lavacro matutino rigorem, & pallorem mibi contrahere; ſatìs mibi eſt, quod mortuus rigere, & pallere debeo poſt lavacrum, quo mortui*

procurantur. Nam fieri nequit, ne ii, qui diluculò lavantur, palleant, & de ſanguine amittant.

VII. Meminere inſupèr ejuſdem moris, ut receptiſſimi *Euſeb.* in Hiſtor. Eccleſiaſt. lib. 7. c.17. his verbis: *geſtare humeris cadavera, decentèr ornare, illis adhæreſcere, amicè complecti, lavare accuratè, ac linteo funebri involvere non gravati ſunt.* S.Gregor. homil.39. in Euang., ubì loquens de S.Tarſillâ amitâ ſuâ ait: *Cumquè corpus ejus ex more mortuorum ad lavandum eſſet nudatum, longa orationis uſu in cubitis, & genibus Camelorum more inventa eſt obdurata cutis.* Beda tom.3.

cap.41.

cap.41. in vitâ S. Cuthberti, ubì refert aquam, quæ ad lotionem corporis ejuſdem Sancti recèns defuncti adhibita fuerat, energumenum liberaſſe. *Surius in vitâ S. Amatoris Epiſcopi Antiſiodorenſis* 31. *Jul.* ubì narrat aquâ lotionis corporis prædicti Sancti paralyticum fuiſſe ſanatum; & plures alios Authores memorat *Panvin. de Ritu ſepeliendi mortuos apùd veteres Chriſtian. cap. 2.*

VIII. Porrò apùd Ethnicos defunctorum corpora aquâ calidâ lavari idcircò inſtitutum fuit, ut ſecuturæ mox unctioni magìs idonea redderentur; ac ut certiùs exploraretur, an vitalis ſpiritus, qui plerumquè homi-

mi-

minum oculos fallit, eſſet è corpore excluſus; quâ ratione non ſemèl tantùm, ſed per integram hebdomadam, quâ domi ea aſſervare ſolebant, quotidiè cadavera lavabantur; quod dum fieret, per intervalla conclamabatur defunctus, ut veterum Scriptorum teſtimonio oſtendit *Pomey* loco proximè citato; quandoquidèm multotiès acciderat eos, qui efferebantur, vivos deindè è feretro ſurrexiſſe, vel etiàm rogo impoſitos revixiſſe, &, quoniàm ſubveniri non poterat, prævalente flammâ, vivos fuiſſe combuſtos, ut de Aviolâ Conſulari, & L. Lamiâ Prætorio Viro narrat *Plin. natural. hiſt. lib.7. cap.52.*

IX.

IX. Chriſtiani autèm mortuorum corpora ideò abluebant, ac etiamnùm pleriſque in locis abluere pergunt, ut, præter naturales cauſas, externarum ſordium abſterſione ſignificent, vel munditiem animæ ab omni labe per ſacramenta expurgatæ, vel æternam claritatem, quâ corpus ipſum cum animâ in extremo judicio glorificabitur, ut explicat *Caſal. loc. nupèr citat.* idemquè ferè tradit *Durand. in Ration. lib.7.c.34. de offic.mort.* ubì hæc ait: *deindè corpus, nisì vivens novitèr inunctum fuerit, debet lavari ad ſignificandum, quod ſi anima per confeſſionem, & contritionem à culpâ mundata ſit, utrumque,*

ſci-

ſcilicèt anima, & corpus æternam glorificationem, & claritatem in die judicii conſequetur, quodque illi ſecundùm Job verè in Domino moriuntur, qui nullam ſecùm portant maculam, ſed in hoc mundo per pœnitentiam diluerunt.

CAP.

CAP. IX.

Cur ſola Baſilica Vaticana ex cunctis ſecularibus Urbis Eccleſiis Ritum hunc conſtantèr hactenùs retinuerit.

I. VETERA, atquè recentia ſacræ Hiſtoriæ monumenta repetenti nihìl ſanè frequentiùs occurrit, quàm quæ de toto terrarum orbe celeberrimæ Baſili-

cæ

Digitized by Google

cæ Vaticanæ antiquitate, veneratione, ac præſtantiâ memoriæ prodita ſunt. Quod ad antiquitatem attinet, nemo ambigit hanc vetuſtiſſimam eſſe, & fortè primam Eccleſiam, quæ ab ipſo Chriſtianæ Religionis exordio Romæ condita fuerit. Longè ſiquidèm antè Conſtantini Magni tempora, ad quæ cęteræ nobiliores Urbis Baſilicę ſuam originem referunt, quin etiàm longè antè Principatum Alexandri Severi, quo rerum potiente, S. Calixtus I. perantiquam Eccleſiam S.Marię Tranſtyberim publicè dedicavit, Vaticanæ Baſilicæ primordia poſita fuiſſe ſatis conſtat. Ea etenìm parvi Sacelli ſpecie ſub ipſum

B. Pe-

B. Petri Apoſtolorum Principis martyrium, ut *S. Damaſus* Papa memorat, primus condidit, atquè ornavit S. Anacletus Preſbyter S. R. E. ab eodem Apoſtolo ordinatus, ejuſque deindè in dignitate, ac ſanctitate ſucceſſor, propè viam triumphalem Caii, & Circum Neronis, quo locò, ut *Severanus de ſeptem Urbis Eccleſiis* plurium veterum Scriptorum teſtimonio demonſtrat, Beatus Petrus Euangelicam veritatem, Chriſtianamque fidem publicâ confeſſione, ac martyrio confirmavit, ſuaſque mortales exuvias itidèm condi voluit: ut Apoſtolicæ fortitudinis, fideique memoria in ipſis ſedibus,

ubì

Digitized by Google

ubì præclarè eluxerat, perennaret.

II. Hoc ipſum Anacleti Sacellum, quod modò Cœmeterium, & Memoria B. Petri, modò Monumentum, aliquandò Confeſſio, & Martyrium, ſæpè Tabernaculum, ſæpiſſimè Trophæa, & Limina, nec rarò Eccleſia ab antiquis Scriptoribus appellari conſuevit, à primis uſquè Chriſtiani nominis ſeculis magno pietatis, ac venerationis ſtudio cultum, frequentatumque fuiſſe miro omnium conſenſu traditur:nec umquàm, furente licèt perſecutionis turbine, fuiſſe dejectum, ſed, quod omnem admirationem excedit, majora in dies gloriæ incremen-

ta

ta ſuſcepiſſe compertum eſt, quippèquod divinitùs deſtinabatur maximæ, auguſtiſſimæque, quam ſuſpicimus, molis nobile rudimentum. Quìn etiàm per ea tempora tanta fuit loci celebritas, ac religio, ut non modò, qui Romæ erant, ſed à remotioribus uſquè tàm Orientalis, quàm Occidentalis Orbis regionibus peregrini fideles, ſævientium in Chriſtianos Romanorum Principum edictis, & pœnis minimè deterriti, ad Apoſtolicum Sepulchrum, velutì ad Eccleſiæ fundamentum, ſtabilemque petram, venerabundi confluerent, ibiquè divinis myſteriis, & ſacramentis refici conſueverint, ut ex recentiori-

bus fusè narrant *Cardin. Baron. ad ann.*69.*num.*21. *& in Notis ad Martyrolog.* 18. *Novemb.* Ciampin. *de ſacr. ædific. Conſtantini cap.* 3. *ſect.* 3. Eumdem præterea locum omnipotens Deus eodem ævo frequentibus, præclariſque miraculis illuſtravit, ut habetur ex actis complurium SS. Martyrum, & comprobant verba illa Nutricis Hermetis relata apùd *Baron. in annal.* ubi proximè: *Tu, ſi ad limina Petri duxiſſes eum, & Chriſto credidiſſes, hodie filium tuum haberes incolumem.*

III. Ubì verò feliciora ſecula Chriſtianæ illuxere Reipublicæ, & Orbis Imperio Conſtantinus Auguſtus admotus

fuit,

ſuit, Anacletiano Sacello idem pius Imperator, Cœſareâ magnificentiâ, ampliſſimam Vaticanam Baſilicam ſuperſtruxit, centum marmoreis columnis inſignem, disjectis, quæ obſtabant, Neronis circo, & Apollinis templo: undè veterem potiùs Eccleſiam in ampliorem, auguſtioremque ſpeciem reſtituiſſe, quam novam uſquequaquè excitaſſe viſus eſt, ut advertunt *Panvin. de ſeptem Urb. Eccleſ. cap.* 4. Jo: Stephan. Durant. *de Ritib. Eccleſ. lib.* 1. *c.*2. Ciampin. *loc. citat.* Quâ ratione Gregorius Papa Nonus apùd eumdem *Panvinum* Vaticanæ Baſilicæ eam planè eximiam attribuit laudem, quod nimirùm

tempore ſit omnibus prior, atquè honoris dignitate præſtantior.

IV. Ut igitùr Baſilica Vaticana intèr cæteras omnes Urbis, & Orbis Eccleſias præcipuo antiquitatis honore meritò gloriatur, ità etiàm per omne ęvum antiquitatis maximè tenax, & ſtudioſiſſima fuit. In primis autèm inſtituta à majoribus tradita, & veteres ſacros Ritus, quibus Catholicæ fidei ſanctitas maximè commendatur, ſummâ curâ, & religione cuſtodire conſuevit. Quod præ cæteris perſpicuè demonſtrat vetuſtiſſima translatio latina Pſalterii, cujus uſum ubiquè ferè antiquatum conſtantèr ad hæc uſquè tem-

pora

pora retinet. Licèt enìm hac eâdem Pſalterii verſione à priſcis ſeculis uſquè ad B. Pium Quintum in Eccleſiaſticis Conventibus uſæ fuerint non tantùm Baſilica Vaticana, ſed etiàm Lateranenſis, aliæque Urbis Patriarchales cum omnibus Suburbicariis Eccleſiis, quâ ratione factum eſt, ut *Pſalterium Romanum* fuerit appellatum, quemadmodùm ex Caſſiodoro tradit *Suareſius in Corollario de Pſalterio Baſilic. S. Petr.*; quinimò aliquandò recitari conſueverit etiàm in reliquis omnibus Occidentalibus Eccleſiis, ut ex commentariis plurium antiquorum Patrum in Pſalmos notant idem *Suareſius*, & *Card.*

Bona Rer. Liturgicar. lib.2. c.3. num. 4. in fin. nihilominùs, inductâ poſtmodùm B. Pii Quinti juſſu in cæteras Urbis Eccleſias vulgatâ Pſalmorum editione, quæ Breviario Romano continetur, ſola Baſilica Vaticana veteris Pſalterii Romani uſum à majoribus acceptum, quod ad illam omnium antiquiſſimam latinam verſionem pertinere creditur, quam *D. Auguſt. lib.2. de Doctrin. Chriſt. cap.* 15. Italam vocat, cunctiſque aliis prçferendam cenſet, ſummo ſtudio, atquè conatu, eodem Beato Pontifice annuente, integrum, ac inviolatum conſervavit; tùm ob magni certè faciendam antiquitatis authoritatem, tùm

tùm quià indè præclara teſtimonia ad fidei Catholicæ confirmationem deſumi poſſunt, ut innuit *Marius Alter. in ſuâ in idem Pſalterium Præfatione*.

V. Eodem antiquitatis ſtudio ducta Baſilica Vaticana, cum Hymni Breviarii Romani à ſ. m. Urbano VIII. Pont. Max. emendati, & ad juſtas metri leges, ac numeros reſtituti in morem apùd omnes Urbis, & Orbis Eccleſias ſuperiore ſeculo inducerentur, hujuſmodi emendationem non admiſit, ſed priſcum Hymnorum rythmum, quo etiamnùm utitur, eodem indulgente, & approbante Pontifice, conſervavit.

VI. Pari religione, & curâ

obſervatur ad hanc uſquè diem in Baſilicâ Vaticanâ Ritus ſolemnis Proceſſionis in die ſancto Paſchatis Reſurrectionis D. N. J. C., quo Clerus omnis antè Veſperas è Sacrario proceſſionali ordine ad Baſilicam pergit, ac ex illius valvis egreditur, concinentibus intereà Muſicis Angelicam Antiphonam *Regina Cœli lætare Alleluja*; & mox ad Eccleſiam revertens ſubſiſtit circà Altare majus: ubì demùm, recitatâ per Canonicum Hebdomadarium Oratione eidem Antiphonę congruente, Proceſſioni finis imponitur.

VII. Vetuſtiſſima ſanè eſt, ac, ut nonnulli opinantur, à primis

mis uſquè Chriſtianæ religionis ſeculis repetita hujus Paſchalis Proceſſionis conſuetudo, quâ auguſtiſſimus Dominicæ Reſurrectionis triumphus celebratur, eaquè olìm nedùm in Eccleſiâ Latinâ, ſed etiàm in Græcâ religiosè admodùm obſervabatur teſte *Bellotte in ſuis obſervat. ad Rit. Eccleſ. Laudunen. pag. mihi* 818. Certè pro Eccleſiâ Latinâ, & præcipuè pro Clero Urbis non obſcurè præſcribitur illius Ritus in *Ordine Romano Hittorpiano de Divin. Offic. in die ſancto Paſchæ*; ejuſque meminit *Rupert. lib.* 7. *de Divin. Offic. cap.* 20. & 21. & inter recentiores *Caſal. de veter. ſac. Chriſtian. Rit. cap.* 40. *pag.* 178.

Quod

Quod autèm in uſu fuerit apùd Græcos, habetur ex *Codin. Curopalat. de offic. magn. Eccleſ.*, *& Aulæ Conſtantinopol.cap.*14. & ex recentioribus teſtatur *Macrius in Notitiâ Vocabulor. Eccleſiaſt. verbo: Paſcha*. Noſtrâ tamèn ætate hìc ritus in pleriſque, ſaltèm latini Ritus, Eccleſiis penitùs intercidit, ac in deſuetudinem abiit, & ſola forsàn ex ſecularibus Urbis Eccleſiis Baſilica Vaticana eum adhùc religiosè cuſtodit, & obſervat; quod profectò dolendum eſt, cum pluribus non careat admodùm piis myſteriis, quæ fusè explicat *Rupert. loc. cit.*

VIII. Cum itaquè Baſilica Vaticana peculiari quâdam, eâque

que religioſiſſimâ curâ veteres Sacros Ritus per omne ævum cuſtodire ſtuduerit, ac inſtituta à majoribus tradita aboleri, vel etiàm levitèr immutari, numquàm paſſa ſit, ut oſtendimus: hinc præcipuè factum eſſe crediderim, ut perantiquam conſuetudinem ablutionis Altaris Majoris fer.v. in Cœnâ Domini in cæteris Baſilicis, aliiſque ſecularibus Urbis Eccleſiis jamdiù antiquatam, ſublatamque, conſtantèr hactenùs retinuerit.

CAP.

CAP. X.

De præcipuis Dominicæ Paſſionis myſteriis in ejuſdem Ritus obſervatione conſiderandis.

I. RELIQUUM eſt, ut quæ præcipua Dominicę Paſſionis myſteria in Sacri hujus Ritus obſervatione meditari conveniat, piis fidelium mentibus proponamus. Tria igitùr ſunt, ut piè

Digitized by Google

piè *S. Bernardus* advertit, quæ in diri illius agone certaminis mirabilitèr eluxere: nimirùm *humilitas, patientia, & charitas* Salvatoris noſtri.

II. Meditari itaquè ſingulari cum affectu debemus *humilitatem*, quam ſummam quidèm exhibuit, & ſingularem; dum Cœli, terræque Dominus, gloria Angelorum, ut nos eriperet de poteſtate tenebrarum, & transferret in Regnum dilectionis ſuæ, fieri ſuſtinuit vermis, & non homo, opprobrium hominum, & abjectio plebis; dum rerum omnium Creator, & arbiter, formam ſervi accipiens, & in ſimilitudinem hominum factus, flagris atrociſſimè

mè dilacerari, ità ut non eſſet ei ſpecies, nequè decor, faciem ſputis conſpui, alapis genas cę-di, innumeris proſcindi ſubſan-nationibus, irriſionibus, contu-meliis, ſpineâ coronâ non tàm ad ludibrium, quàm ad pœnam circumdari, ſicùt agnus ad occi-ſionem duci, & cum iniquis de-putari, humilitèr paſſus eſt.

III. Obverſari itidèm men-tibus noſtris debet *patientia*, quam Redemptor noſter oſten-dit planè mirabilem. Cum ete-nìm ſuprà dorſum ejus fabrica-rent peccatores: cum fortiſſi-mum illud propugnaculum, quod cuſtodit Iſrael, undiquè quateretur: cum è ſacratiſſimo illius Corpore ſanguis undiquè,

ſicùt

ſicùt aqua, difflueret: cum ſaturaretur opprobriis: cum ſic extenderetur in ligno Crucis, ut dinumerarentur omnia oſſa ejus: cum foderentur manus ejus, & pedes, & latus: cum non eſſet dolor ſimilis, ſicùt dolor ejus; ipſe tamèn, quasì ovis coràm tondente, non aperuit os ſuum: non de Patre conquerens, à quo miſſus fuerat, non de humano genere, pro quo, quæ non rapuit, exſolvebat, non deniquè de Judaicâ ingratitudine, ac impietate, à quâ pro tantis beneficiis tanta ſibi mala rependebantur. Quæ omnia ſecùm reputans, & ſuſpiciens *Tertullian.* lib. de patient. cap.3. *Mira*, inquit, *æquanimitatis fides! qui*

in

in hominis figurâ propoſuerat latère, nihìl de impatientiâ hominis imitatus eſt. Hinc vel maximè Phariſæi Dominum agnoſcere debuiſtis: patientiam hujuſmodi nemo hominum perpetraret.

IV. Contemplari prętereà, ac ſeriò cogitare nos decet inæſtimabilem, & verè nimiam *charitatem*, quâ dilexit nos Deus; cujus charitatis inſtinctu, ut ſervum redimeret, nec Pater Filio, nec ſibi Filius ipſe pepercit: cujus, inquam, charitatis inſtinctu Unigenitus Dei Filius tradidit ſemetipſum pro nobis in oblationem, & hoſtiam, factus propitiatio pro peccatis noſtris, vulneratus proptèr iniquitates no-

noſtras, & attritus proptèr ſcelera noſtra; cumquè mortis aculeum ſentire non poſſet natura divina, ſuſcepit naſcendo ex nobis, quod poſſet offerre pro nobis. Quidquid autèm illuſionis, & contumeliæ, quidquid vexationis, & pœnæ ei intulit furor impiorum, non ex neceſſitate paſſus eſt, ſed ex voluntate ſuſcepit: oblatus enìm eſt, quià ipſe voluit. Et ideò voluit, ut nos à vinculis priſcæ captivitatis abſolveret: ideò crudelitatem in ſe exerceri permiſit, ut nobis miſericordiam largiretur: ideò vulneratus eſt, ut nos ſanaret: ideò dirum, indignumque mortis genus ſubiit, ut nos revocaret ad vitam.

V. Deniquè quicumque pretioſo Chriſti ſanguine redempti ſumus, & nos præcipuè, qui, ut *S. Leo* inquit, magni nominis militiam, magnæ profeſſionis ſuſcepimus diſciplinam, non tantùm meditari, ſed & imitari oportet ſalutiferæ Paſſionis mirabile Sacramentum. Præbuit nobis increatus author naturæ in arâ Crucis egregia *patientiæ*, ac *humilitatis* exempla; Hinc nos diſcamus tribulationes mundi fortitèr tolerare, omnemque ab animo elationem abigere. Nulla nos de cætero frangat adverſitas, nulla incendat ira, nulla extollat ambitio. Sola fecit *charitas*, ut Salvator noſter tanta pro nobis mala pertulerit;

Hinc nos ineffabilem divini amoris magnitudinem humilitèr agnoſcentes, Redemptoris noſtri veſtigia fidelitèr ſequi, ejuſque voluntati per omnia conformari nitamur. Nulla nos terrenarum voluptatum illecebra à Chriſti charitate diſſociet, nulla nos à Chriſti lege caducarum rerum cupiditas avocet, nihil à ſemitâ virtutum abducat, nihil in abrupta vitiorum impellat; ſed jugitèr glorificemus, & portemus Deum in corpore noſtro, ut, cum tempus promiſſæ retributionis advenerit, ad ea,quæ fidelibus prȩparata ſunt, gaudia pervenire felicitèr mereamur.

F I N I S.

619197

Digitized by Google

Digitized by Google

TYPOGRAPHUS
LECTORI.

CUM *Author non uno in loco meminerit Opuſculi olìm editi à V. C. Joſepho Mariâ Suareſio Epiſcopo Vaſionenſi de Ritu annuæ ablutionis Aræ maximæ Baſilicæ S. Petri, conſentaneum duxi hìc illud ſubnectere: ratus conſilium meum tibi* (candide Lector) *non injucundum futurum. Ut igitùr anno* 1676. *ex Officinâ Michaelis Herculis Romæ prodiit, ab ipſo Suareſio inſcriptum Eminentiſſimo Principi* CAROLO *Sanctæ*

Romanæ Eccleſiæ Cardinali BARBERINO, *idem rursùs Opuſculum tibi, ac eruditis omnibus bonâ fide propono, & offero. Vale.*

EMI-

Digitized by Google

EMIN.MO ET REV.MO

PRINCIPI

CAROLO

BARBERINO

S. R. E. CARDINALI

DIACONO S. MARIÆ IN COSMEDIN

SACR. BASIL. S. PETRI

ARCHIPRESBYTERO.

RITUS, qui obſervatur in Baſilicâ Vaticanâ quotannìs in die Cœnæ Domini, ut Matutino Penſo Canonico exſoluto, Laudibuſque decantatis, ſub occaſum ſolis procedat è Choro Cle-

Clerus omnis, & cum Aſpergillis Altare ſuper Apoſtolorum Confeſſionem extructum vino diffuſo lavet, atquè abſtergat, antiquiſſimus eſt.

a *Sedit ad annum* 591. Nam Gelaſius I.[a] Papa illius meminit in Ordine Romano, cum præcipit, ut in Cœnâ Domini laventur Altaria. Iſidorus b *Ad illum annum*. Hiſpalenſis[b] in libro de Eccleſiaſticis Officiis cap. 28. ſcribit. *Hinc eſt, quod eodem die Altaria lavantur*. c *Ad annum* 800. Alcuinus[c] libro de Divinis Officiis cap. de Cœnâ Domini *eodem* (ait) *die Templi Altaria lavantur*: *non deeſt aliquid myſticum*: *Altare ſignificat Chriſtum, qui nudatus fuit à veſtimentis*. Idem aſd *Anno* 640. ſerit S. Eligius[d] Homil. 8. de

Cœ-

Cœnâ Domini, & ex eo mutuatus Rabanus Maurus [e] c. 61. de Inſtitut. Cleric. ità loquitur. *Salvator pedes Diſcipulorum lavit proptèr humilitatis formam commendandam; hinc eſt quod eodem die Altaria lavantur*. Rupertus de Divin. Offic. è Claudio de Ruel Epiſc. Andegavenſi lib. de Proceſſionib. Guillelmus Durandus [f] Epiſcopus Mimatenſis lib. 6. cap. 76. Rational. Et Jo: Beleth [g] c. 104. explicat. Divin. Offic. referunt & plura. *Hac feriâ V. horâ jam adveſperaſcente denudant Altaria, & lavant*. Magiſter Regulæ apud Menardum in Not. ad librum Sacramentorum Sancti Gregorii pag. 88. *lavabantur*

e *Anno* 930. *ſeù* 1069.

f *Ann.* 1280.

g *Ann.* 1328.

(inquit) *Altaria, & Templi parietes, & pavimeuta, & vaſa Domino conſecrata purificabantur.*

È quibus conſtat Romæ, in Galliâ, in Germaniâ, in Hiſpaniâ conſuetudinem iſtam lavandi Altaria in Cœnâ Domini, quin & in Paraſceve alicubì religioſiùs ſervatam, variiſque ſęculis uſurpatam viguiſſe, & Aſpergilla quidèm, quibus utuntur hodièque, conſtant è ramis taxi, ſeù buxi, aut fruticis ſanguinei, qui vulgò *Sanguinella* nominatur, expolitis, ac eâ ramentis inſtar ſpongiarum in vertice quasì coronantur. Vinum generoſum, atquè optimæ notæ infunditur Altari, & aqua commiſcetur, recitaturque à

Cle-

Clero Pſalmus xxj. cujus initium eſt. *Deus Deus meus reſpice in me, quarè me dereliquiſti*; quæ verba Chriſtus Dominus in Cruce moribundus, exclamanſque pronunciavit, utì recenſetur S. Matthæi cap. xxvij. v.46. & S. Marci cap. xv. v. 34. *Morem hunc in Urbe retinet ſola Baſilica Vaticana, cum aliis Eccleſiis, etiàm extrà Urbem, jam obſoleverit*. Ritus autèm iſte videtur deſignare vindicem, & aſſertorem noſtrum coronâ ſpineâ redimitum, & flagellis immanibus conciſum, verberibuſque contuſum, ac vulneribus proſciſſum. Rex enìm David vaticinans, divinitùſque inſtinctus toto illo in

Pſalmo hiſce crudeliſſimis tormentis eum excruciandum diſertè præcinuit, & velùt oculis ſubjecit, præſertìm in verſiculis: *Circumdederunt me vituli multi, & canes multi &c.* quæ Cardinalis Bellarminus, Valentia, Janſenius, aliique Pſalmorum Interpretes de coronâ, de flagrorum ictibus, & opprobriis Chriſto inflictis expoſuere. Et Altare S. Eccleſiæ ipſe eſt Chriſtus, teſte Joanne in Apocalypſi ſuâ, ubì Altare aureum ſe vidiſſe, perhibet, ſtare ante Thronum, in quo, & per quem oblationes fidelium Deo Patri conſecrantur, ut habetur in Admonitione ad Subdiaconos Pontifical. par. 3. È ſolido marmore,

vel

vel lapide conſtructum eſt Altare. Petra verò erat Chriſtus è S. Paulo 1. ad Corinth. c. 10. v. 4. Vinum, & aqua denotant cruorem aquâ mixtum è latere Chriſti lanceâ compuncto, transfixoque profluentem, manantemque prætereà è vulneribus. Aſpergilla exprimunt coronam è ſpinis conſertam, infixamque capiti Dominico, nam ramenta, ſivè aſſulæ hirſutæ in modum coronæ, ſeù diadematis compinguntur, & conglobantur; flagrorum quoquè ſpeciem præferunt: ſolent enim è taxo, ſeù buxo colligi, radique, ſanguineove è frutice, ſeù Sabinâ, vulgò *Savina*. Hinc Joannes Beleth. etiàm adnotat ramos

aſpe-

aſperos, & aculeatos, quibus Altare fricatur, ac everritur, ſignificare coronam ſpineam, & flagella, ſuntque ideò rami hiſpidi, & Durandus refert, lavari Altaria vino, & aquâ, fricarique ramis, præſertìm de Salvinâ, qui coronam ſpineam, flagella, & dolores, quos Chriſtus in morte ſuſtinuit, exprimunt etiàm.

Sunt, qui opinentur, hujuſcemodi lotione commemorari eam, quâ Chriſti demortuum Sacratiſſimum Corpus abluere SS. Joſeph ab Arimathiâ, & Nicodemus. Nam S. Joannes Chryſoſtomus Homil. 84. in Joannem, hæc ait, *dum peterent illi SS. Corpus à Pilato, laverunt illud*; & affirmat S. Bernardus.

Apud

Apud Romanos profectò id moris fuiſſe, verſus evincit Ennianus: *Tarquinii corpus bona fœmina lavit, & unxit.*

Venit mihi aliquandò in mentem, Aſpergilla illa referre formam ſpongiæ, ſivè illius, quam calamo, vel arundini, aut hyſſopo circumponens aceto plenam Chriſti ſitientis ori admovit adſtans Calphurnius, ut pictura vetus in Sacello S. Urbani exhibet extrà Urbem, narrantque SS. Matthæus, Marcus, & Joannes in Euangeliis; ſivè Spongiæ, quâ Sacratiſſimus Chriſti Sanguis colligebatur à piis mulieribus eum affectantibus. Ità S.Praxedem Martyrum Sanguinem, illarum exemplo, per gra-

mina,

mina, perquè ſaxa diſperſum bibulis ſpongiis collegiſſe prodit Hugonius lib. de Stationibus pag. 297. Altaria quidèm imbuta vino conſecrato, & pavimenta; quin & parietes, atquè vaſa uſibus ſacris addicta, nemo ambigit, cum ſub utrâque ſpecie miniſtraretur Euchariſtia Sacroſancta, & ad ea detergenda ſpongias adhibitas; cum etenìm ſpongiæ ſint ζωόφυτα, & ſaxis adnaſcantur in littore maris, nequè tantùm vegetent, verùm etiàm ſentiant, nam ſi quis eas contigerit, illæ ſe ſubtrahunt, contrahuntque, quin avulſæ relinquunt velutì cruoris colorem, ac veſtigium in petris, & ſaniem emittunt; ſexum ha-

habent è Plinio lib. 9. cap. 45. & lib. 31. cap. 4. & ex Ariſtotele: hinc de Spongiâ canit Martialis lib. 14. Epig. 43.

Hæc tibi ſorte datur tergendis ſpongia menſis:
Utilis expreſſo cum levis imbre tumet.

Eudo Francorum Dux, & Aquitaniæ Princeps, cum memorandam illam victoriam retuliſſet, occiſis Agarenorum trecentis ſeptuaginta quinque millibus, qui, poſtquàm Hiſpanias pervaſiſſent, Rhodanum tranſierunt invadendo Gallias, miſit ad Gregorium II. Romanum Pontificem Epiſtolam, in quâ narrabat è tribus Spongiis, quæ ad uſum Pontificiæ menſæ ap-

po-

ponuntur, ad ſe directis in Benedictionem, imminutas ſe militibus particulas tribuiſſe ſumendas, & neminem eorum, qui participati ſunt, cœſum, lœſumve in prœlio illo fuiſſe; recenſet id Anaſtaſius Bibliothecarius in Vitâ Gregorii II. pag. 97. cujus verba inſeruit. Delebantur ſcripta Spongiâ, utì Suetonius refert cap.20. in Caio Cœſare Caligulâ; hinc Auguſtus, Ajacem ſuum in ſpongiam incubuiſſe, reſpondit amicis apud eumdem Suetonium cap. 85. portenderunt igitùr tres ſpongiæ illæ, delendos fore ad internecionem Agarenos, & Ducis, ac militum pietas ipſos conſervavit ſoſpites, atquè inco-

columes. Spongias antiqui habuerunt in deliciis ſtrigilum vice, linteorumque ipſas uſurpando ad diſtringenda, & emundanda etiàm corpora; quapròptèr purpurâ eas tingebant, & candorem ut biberent, procurabant; Spongiarum ergò vice Aſpergilla illa ſuppoſuere ad tergenda Altaria, pavimenta, & vaſa. Veſontione in Altari Eccleſiæ S. Stephani, quod anno à Chriſto nato MXLVIII. Leo IX. Papa conſecrarat, digna notatu res eſt (ut ſcribit Joannes Jacobus Chiffletius p.2. Veſontionis pag.208.) medius lapis, ſuper quo Chriſti Domini Corpus, & Sanguis conſecrari ſolent, in quo Roſa ad duos

cir-

circitèr digitos excavata eſt cum Labaro, & Agno Crucem ferente, circumquè inciſa inſcriptio: *Hoc ſignum præſtat populis cœleſtia regna*. In concavam illam Roſam quotannìs die Cœnæ Domini conſuevit infundi ſextarius vini rubri, qui pintarum eſt ſexdecim, (totidèm enìm capit) de quo bibunt ordine ex veteri ritu Canonici, ac deindè populus univerſus. Petrus Burgenſis in Cœremoniali libro, quem ævo Nicolai Papæ V. ſcripſit, vitreæ meminit ampullæ, quæ intrà ſe continebat aureum vaſculum, in quo eſt lapis pretioſus concavus, & in concavitate illâ lapidis pretioſus Sanguis Chriſti,

qui

qui annualitèr extrahitur, & reponitur ibì in concavitate aræ in Capellâ S. Pancratii juxtà Clauſtrum in Laterano; id verò factitabatur in Cœnâ Domini à Papâ poſt Proceſſus, & Proceſſionem, atquè antè Mandatum. Sic habet ille Petri Burgen. Codex exaratus calamo in membranâ, & in Sacello Pontificio repoſitus; undè primævam originem hujuſce ritus licet rimari, nequè dubito, quin poſteà ingeniosè quiſque, ut erat pius, eum ritum religiosè, myſticèque cœperit explicare: præſertìm, cum Sanguinis communio laicis fuiſſet adempta Concilii Conſtantienſis Decreto proptèr effuſionis pericula, & varia

b ſcan-

ſcandala, quæ contingebant in dies.

Antiquitatis igitùr, Myſteriorumque causâ conſervandum illum Ritum meritò exiſtimo, meditandumque ſingulari cum affectu, quantus filii Dei ergà nos fuerit amor, qui tam graves pro nobis pertulit ærumnas, atquè cruciatus. Dum ſolemnitèr procedimus, Pſalmumque hunc recitamus, obverſari debet mentibus noſtris ipſe Chriſtus Crucem bajulans, diſſectus plagis, dilaceratus, & dilaniatus, ex acutis paliuris contextâ, infixâque altiùs capiti vexatus, & diſcerptus coronâ, quâ coronavit eum mater, ipſa Sion, filia crudelis, & ſœva,

va, quæ omnem humanitatem exuit, dum Chriſtus pro ipſius ſalute, indutâ humanâ naturâ, tot ſupplicia paſſus eſt inhumana; populus (inquam) ille duræ cervicis, & improbus, ac ingratus, imò & nos indigniſſimi alumni, flagitiis noſtris in dies Divinam laceſſentes, & provocantes iram. Sanguinem igitùr illum incomparabilem, quo redempti ſumus, & tanti pretii ſacratiſſimo undiquè dimanantem è Corpore, ſanctas fœminas imitando, veneremur, & colligamus lacrymis noſtris admixtis reverentèr; ſcelera noſtra illo diluamus, efflagitantes veniam cum luctu, cum gemitu, cum ſqualore compuncti, con-

triti, verè pœnitentes detergamus maculas, & ſordes amaris, & hirtis cum animorum ſenſibus, ſuſpiriis, atquè doloribus; applicemus nobis ſanguinem illum, utquè Chriſtus eum altiſſimo Patri pro nobis obtulit in arâ Crucis, morteque ſuâ nobis comparavit immortalitatem, ità nos ad Altare perfuſum Apoſtolorum quoquè Principum cruore, in quo ſacrificium illud perenne quotidiè immolamus, placemus Deum offenſum noſtris reatibus, juſtèque indignantem, divino illo Sanguine oblato, exarmemus, & commoveamus ad paternæ miſericordiæ viſcera nobis exhibenda. Quod Clerum hunc univerſum,

ad-

adſtantemque devotiſſimum populum egregiè præſtiturum pro innatâ pietate, ità ut nunquàm à propriâ firmitate fidei, gratiæque deincèps excidat, quemadadmodùm nec à vetuſtis, piiſque ritibus nequè tantillùm deflectit, mihi perſuadeo, & omninò confido. Faxit Deus Optimus Maximus.

EMIN. V. REVEREND.

Devotiſs. & Addictiſs. Servus,
& Vicarius
Joſeph Maria Suareſius Epiſc.
olìm Vaſion.

Be-

Benedicentur in ſemine tuo omnes gentes terræ eò, quòd obedierit Abraham voci meę, & cuſtodierit præcepta, & mandata mea, & cæremonias, legeſque ſervaverit. Geneſ. cap. 26. 4. 5.

619197

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google